PROSARUM OPUS MISCELLANEUM AUCTORE ALOYSIO...

Luigi Restori

Digitized by Google

NAZ. CENTR.
R. BIBLIOTECA
VITT. EMAN. II
204
1 A
25
ROMA

204 I A 25

Digitized by Google

Digitized by Google

204-1-A-25

PROSARUM
OPUS
MISCELLANEUM

AUCTORE

ALOYSIO RESTAURO
TIFERNATE
Societatis Jeſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

ROMÆ, Typis Io: Iacobi Komarek Bohemi,
propè SS. Vincentium, & Anaſtaſium
in Trivio. M. DC.XCVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO, AC EXCELL.MO D.

D. MARIO CHISIO.

PEndes animo, ni fallor, MARI Adoleſcens optime Ghiſiorum, Proſapiæ ſpes altera, ac Romani Imperii Principis Farneſiiq; Auguſtini ſoboles Auguſta, dum Opuſculum hoc literarium ad manus oſculum reverenter intueris aſſurgere, incertus allaturum ne, an relaturum munus ad-

veniat. Conditio tua te Principem clamat; ideoque amoris ac benevolentiæ pignora poſtulat pro vectigali: Opellę tenuitas vultum præfert pauperis, cujus eſt ſubſidia implorare. Oratoria hæc eſt levidenſa craſſo dictionis filo contexta. Nobilem muneris nomenclaturam qui ſubſtineat, aut audeat cum Homeri Carmine pretioſa Darii ſcrinia appetere? ſplendor iterum tuus potiùs elargiri poſtulat, quàm munerari; ſcilicet nemo inficiatur beatiùs eſſe dare, quàm accipere. Sed curas pone, potius admirationem indue. Hęc una Operula, delphico fælicius gladio, duplex præſtat munus:

nus:

nus: utrumque te dignum: ſupplicis vices gerit, & munerantis. Exiguum quidem munus eſt, ſi pretium pendis; at ſi venerationis, ac amoris affectum, quo te petit, ponderas, non exiguum. Parem Regibus facit, iiſque, qui dum glebas manu verſant, in aurum vertunt, aut illis, qui guttulas aquæ hilari, vultu, humaniter excipientes Gemmis reddidere pretioſiores. Magnum breviter te faciet, ſi facias magni. Tuum quoque implorat Patrocinium, ut Patronus velis eſſe depoſcit. Lege in Fronte operis nomen MARII, ubi ut in Sede Dominationis ſuæ, cujus iniit

 poſ-

poſſeſſionem, præfulget. Jam tuum eſt, tibique dono venit: ad pedes verò oculos inclina, & nomen leges Auctoris, non tam donantis quàm ſupplicantis in morem venerabundum, & tuum intelliges invocari Patrocinium. Rurſus obſtupeſcis, quòd inter quamplures literariæ Reipublicæ Optimates unicè deſigneris in Patronum? Iterum rogo, frontem explica, nempe ad præſtandum id, quo indiget opus, neminem te aptiorem novit Auctor. Imbecillum eſt. Quærit ergo, cui firmius adhæreat, ne cadat, aut pereat. Quid firmius robore Gentilitio, quo animi tui firmitas adumbratur, MARI?

ti-

timet obtrectatorum linguas, dentes Cinicorum, invidorum tela? Quò extra cujuſque teli jactum ſecurius effugiat, quàm in Moutes tuos Cœlo conterminos? Nativas pavet umbras? Unde lucem hauriat, luculentiorem, quàm à tuo ſydere, primę magnitudinis ſydere; cum ſoli propinquius circumferatur, quò clarius fulgeat, & umbras concubiæ licet noctis poſſit irradiare? Planius eloquar: ſanguis es Ghiſius; Fons & origo animorum ingentium, ac Heroum, prærogatiuis tùm a natura, tùm à virtute contractis illuſtriorum vena ditior, quàm Ganges auro, aut Gemmis Indus. Uno

tantùm in Alexandro quàm ingentes ſpiritus ſuſpeximus? Meritò inde tota Gens ſuperbiam ſibi poteſt ſumere , cum hic unus cujuſcumque humanæ ſublimitatis culmen attigerit , libaveritque Divinæ; Cujus ab Imperio Chriſtianus Orbis lætior ivit, quàm olim Roma, laureato ſub Aratore, aut vomere Imperatorio. Quin etiam perenne videtur ambiviſſe, dum ſpes ejuſdem meliores Purpurato in Nepote Sigiſmundo collatæ ſibi alterum preſagirent Alexandrum, quas mors tamen invida, ac præfeſtina ad meſſem pervenire non ſivit, ſed vel adhuc florenti meſſuit in germine. Iterum

di-

dico: ſanguis es Ghiſius, cujus de gente neminem familiarius novi, quem optimum mihi, beneficumque non ſenſerim. Unde mihi promptius eſſet aliorum beneficia in me collata, quàm Ghiſiorum beneficos numerare. Fiduciarius vivo Alexandro, cujus in Societatem munera Sole ſpectantur clariora. Memorare non audeo Excellentiſſimi Genitoris tui beneficentiam cui adeo obæratum me ſentio, ut aperte cogar profiteri, me non eſſe ſolvendo; ingens ſiquidem animi moderatio ſilentium indicit, laudabiliora geſtiens gerere, quàm laudes audire. Et non verear his te degenerem ſuſpicari?

*cari? Quos & genio, & indo-
le, ſin minus vales excedere,
quod planè incredibile videtur,
ſaltem ſatagis æmulari? Prin-
cipum dona decet eſſe manſu-
ra. Tù Principis genus lar-
gitatem illorum in me conſer-
vare non ſtudeas? Hi omnes,
ut ſanguinis hæredem habent,
ita & morum optant melio-
rum. Ut flumina volvuntur
in Mare, ut inde in Orbem re-
fluant auctiora, ita illi in te,
Mari, prærogativarum ſua-
rum undas deferentes conſti-
tuere nixi ſunt Mare, ut re-
deant in Orbem laudum fænore
glorioſiores. Verùm quid im-
moror ea exponere, quæ ama-
biliori violentia me tibi ſup-
pli-*

Digitized by Google

plicem reddidere? Tu ille es, qui ſolus, quamvis enumerata deficerent, me compellerent ad pedes accedere, tui ſolius prærogativarum rapior vi pluſquam magnetica, ut Patrocinium implorem. Vidi te, & ea cogitatio mentem invaſit, quæ ſuadebat futurum aliquando tandem, ut fauſtiſſimum experirer Patronum. Quinquennem vidi, cum primùm Aulam intravi Excellentiſſimę Genetrici pro munere, quo fungebar, obſequia redditurus. Verecundè materno lateri adhærebas: illa te ſpectabat lætabunda, & oſtentabat, quaſi diceret cum Matre Scipionum aut Phocionis Uxore: Hic mi-

hi Mundus muliebris integer eſt, hic mihi Vnio, Adamas, Annulus, Inaures, Armillæ: hic tandem mihi Theſaurus eſt inexhauſtus. Et quidem non immeritò, nam avidius oculis in te coniectis in Puero Senem videre mihi ſum viſus. In ętate Infantili Viri introſpexi Majeſtatem, parvo in Corpore animum Gigantis, membrorum in teneritudine, ſoliditatem & meriti, & virtutis, ut tibi inſcribi poſſe judicarem, quod de Simulacro Herculis Poeta cecinit: parvumque videri, ſentirique ingens. Quin imò parum abfuit, quin exclamarem cum Perſarum Legatis, viſo auditoque Alexan-

dro

Digitized by Google

dro adhuc adoleſcente, Macedoniam parvo in Puero Regem maximum poſſidere & quidem frontis amplitudo quid aliud de te ſuggereret, quàm majoris eſſe mentis hoſpitium? Quid alacrium faces oculorum, niſi acutioris latere flammas ingenii? Quid erecta cervix, & capitis prominens occiput, quàm vaſtos celari memorandi ſinus facultatis? Suavis ille totius oris color quid aliud expingat, quàm humorum ad humanitatem, benignitatemque inſtitutam temperiem, morumque concordiam? Quid tandem membrorum omnium Symetria, niſi rudimentum naturæ hoſpitium grandis animæ

mæ facere molientis? Et hæc quidem tunc temporis animę vota ſolummodo mihi videbantur. Labentibus tamen annis comprobat experientia incitamenta fuiſſe naturę prę-ſagientis. Jam enim fama ſonantius incipit te inclamare, & ingenii prętogativa prę-clarum, & memorandi vi ſingularem. Cum igitur & Natura conceſſerit bene poſſe patrocinari, & Virtus ac Indoles indulgeat, ut velis, quid ultra vel prudens Philo-ſophia optandum ſibi in optimo Patrocinante confingat? aſſueſce igitur vocari, & in primo cliente dignum te, hoc eſt optimi Patroni ſpecimen

exhi-

exhibe; nam ſic univerſitas literaria, ut ſperat, te ſibi novum deſtinabit Męcenatem: optabunt Apollinem Muſę, Palladem Sapientes. Jamque alii novum ſibi deſignant tuis in Montibus Parnaſum incolere: ſub Quercu tua avent aperire Perypatum, Academiam, Stoamque. Sic rogo, & opto, ut plenè pręſagia mea jam vertantur in Oracula. Vale, & vive, ad ampliſſimam Sanguinis tui claritatem, & ad fęlicitatem Orbis annos vive Neſtorios.

Humil. & Obſequen. Servus
Aloyſius Reſtaurus Soc. Jeſu.

AD
LECTOREM.

STudioſè Lector, antequam legendo ulterius te inferas in libellum, boni conſulas, ſiſte pauliſper in limine pauca monendus. Res hìc agitur tua, ne videlicet inconſultè progrediens ex veteri parœmia oleum perdas, & operam. Si quid ergo temporis, quod otio fallas non ignavo tibi ſupereſt, perge: ſin eo anguſtiùs uteris, in oculo pedem revoca, compendium unà facturus temporis, ac laboris. Non

elo-

eloquentiæ Pálatium ingrederis , in quo novas ſpectes dicendi artes , & figuras , ſed veſtibulum rude , ubi tamen non inutiliter otieris; proinde ne ſpe devores offellas artis, vel haurias facundiæ flumina , non frequentiorum pondera ſententiarum , non denſas Hiſtoriarum Silvas , non expectes Philoſophantis arcana Sapientiæ , quibus hujus ęvi ſcriptiones ſcatent abunde , niſi etiam fortaſſe ad legentium uſque defatigationem . Fateor ingenuè, ut his deliciis non affluit, ità (ut arbitror) propter earumdem jejunitatem illudi non poteſt ; Auctor nempe decen-

tiæ

tiæ ſcripſit plerumque , aut neceſſitati, ſcilicet majoribus obtemperaturus ac impleturus partes muneris, quod varium pro temporum varietate ſubſtinuit. Meditatus ſcripſit aliquando , ſæpius ex tempore caſu aliquo repentino compulſus, ſcripta non licuit per otium poſtmodum dedolare ſi ſcabra , deglubere ſi rudia , ſi lapidea , limare ſi ferrea , vel impolita , ſi agreſtia eruderare , ſi inculta averuncare . Hinc advertens properè conceptam , effuſamque ingenii ſui prolem nec excultam accuratius educatamque , umbris damnaverat , oblivioni tradens

cu-

Digitized by Google

cuſtodiendam, ſpè nulla lucis relicta, niſi quam concepta forte medullitus flamma ſibi parere potuiſſet. Nec ſecus eveniſſet, niſi quorumdam eruditorum innocens interveniſſet violentia. Hi cum olim audita comprobaſſent (ſcilicet audienti non rarò probatur, quod improbatur ab ipſo dicente) ut ægrè hucuſq; caruere, ita diutius iiſdem fraudari non tolerantes, ex urnis, in quibus altè ſepulta jacebant, amica fraude ſubſtulere. Cogitur propterea permittere luci, ne ſi pervicacius obſiſtat, ſe, ſuaque ſuperbè diſpicere videatur, proprium alieno judi-

cium

Digitized by Google

cium anteferendo, aut de ſe benemereri volentibus, eorumdem recuſando conſilia, paria non referre.

Utinam ſaltem, quando id negare non decuit, liceret cum Martiali Poeta manus præſcribere, quas libellus adiret, quantas declinaret moleſtias, quantum ſibi laboris Auctor adimeret, quantum operi cenſurarum! nempe ſciolos quoſdam nec à limine ſalutaret, quòd in alienis lucubrationibus leviores nęvos errorum venantur, ut lacerent, non gemmas inveſtigant, ut locupletentur: verecundius, ac pronius ſubiret oculos, nedum manus egre-

gię

giè litteratorum , quod hi cum Plinio Seniori nullum, reiiciant volumen tamquam pondus inutile, quinimò cum Virgilio de ſtabulo Ennii geminas norunt legere, ſi repererint, ſin minus vel de ſcrinio propriç Sapientię largè diſſeminare. Quoniam tamen quæ Typis fiunt juris publici,non eſt integrum alicui denegare, quicumque ſis & velis, perlegas, tantùm tibi datam cenſeas à Plinio juniore legem, qua ſic monitum voluitReſtitutum ſuum. Sive plus, ſive minus, ſive idem præſtas vel Superiorem, vel parem, vel inferiorem, lauda, Superiorem,

quia

quia niſi laudandus ille eſt, non potes ipſe laudari: inferiorem, & parem, quia pertinet ad tuam gloriam, quam maximum videri, quem pręcedis, vel exęquas. Verùm ſi me audis, ſi quid erroris occurrit, diſce, quod tibi ſit fugiendum: ſi quid boni, omnium datori bonorum laudes Deo rependas, & grates. Vale.

Digitized by Google

THYRSVS GONZALEZ

Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu.

CUm *Proſarum Opus Miſcellaneum* a Patre Aloyſio Reſtauro Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet ita videbitur, cujus rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 18. Februarii 1697.

Thyrſus Gonzalez.

Digitized by Google

Juxta Decretum Urbani Octavi Pontificis Maximi editum Anno 1625. Decima tertia Maii à S. Congregatione Univerſalis Sanctiſſimæ Inquiſitionis confirmatumque 5. Julii 1631. Profiteor me haud alio ſenſu accipere quidquid hoc libello continetur, quod illi obſtare videatur, neque ab ullo aliter eſſe recipiendum, quàm ea ſolent, quæ humana dumtaxat auctoritate nituntur.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiſs. P. M. Sac. Palatij Apoſt.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

Imprimatur

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Præd. Sac. Apoſt. Palatij Mag.

Digitized by Google

INDEX PROSARUM

Prima Pars Orationum.

Divini Amoris Metamorphoſes de Paſſione Domini. pag. 1
Imitator Divinitatis Regnator Gregorii XIII. in annuo funere Oratio. 29
Fœlicitatis Faber alienæ, & ſuæ Oratio in Funere Eminentiſs. Fœlicis Centini. 93
Sepulchrum virtutum Liliis inſperſum in Funere Reuerendiſs. Patris Leonis Bonfilioli Carmelitarum Generalis, qui Lilia gerebat pro Stemmate. pag. 117
Ingens Animus Oratio in obitu Uladislai Regis Poloniæ ac Suetiæ. 143

Se-

Secunda Pars Præfationum.

Ars Militaris Oratoriæ Artis Magiſtra. 183
Pro Eloquentia. 205
Defenſio prima Horatianæ Artis Poeticæ. 235
Defenſio ſecunda ejuſdem 269
Juſtitium Litterarum Indictio vacationum Autunnalium, Rhetoricæ Auditoribus. 291
In Philoſophia magis proficere, qui plures audiat Lectores. pag. 321

Ter-

Digitized by Google

Tertia Pars Proluſionum ad varios Tractatus Theologię tum Scolaſticæ, tum Moralis.

Diogenes cnm Lucerna ad Tractatum de actibus Humanis. pag. 347
Votum Ingenii Theologici ad Tractatum de Deo Trino, & uno. 369
Ludus non ludus ad Tractatum moralem de Ludo. 381
In Portu Naufragium ad Tractatum de Sacramento Pænitentiæ. 397
Cave ab Ira Columbæ de Cenſuris Eccleſiaſticis. 407

Digitized by Google

Digitized by Google

DIVINI AMORIS INGENIVM

Oratio in Paſſione Domini habita Firmi anno 1641.

SALUTARIS ille fervor, aura vitalis, & flamma caritatis Amor Divinus, qui ſępe in hac rerum ſcena corporatarum viſibili ſpecie perſonatus inceſſit, ut mortalium oculis pateret verius, quàm lateret; licet mutatis identidem formis, dictus ſemper ingenioſus fuerit, & inſpectus: Siquis tamen mentis aciem defixerit attentius in ærumnoſam patibulati Numinis Hiſtoriam, Perſonamque

Digitized by Google

multiplicem, qua ſpecimen ſui luculentius exhibuit, impellente veritate diſertè pronuntiabit, ingenioſum aliàs inſpectum numquam, nec dictum ſatis: ſive enim plumas olim elegantioris Columbæ apud Jordanem induerit, ſive in Orebi vertice ſibilo ſpiraverit auræ placidioris, ſive Montis ejuſdem in receſſu innocua vepretum flamma ſuccenderit, ſive Sionis in cœnatione clarior affulerit igneas partitus in linguas, certè in imagine ſingulari ſingula quoque mundo contulit beneficia, collataque ſignavit; at ubi acerbiſſimos inter Dei, hominiſque cruciatus ipſa Sanguinis eluvione profuſiora dona largitur, ut ea rite ſignificet Protheus alter, ſanctiorque Vertunnus fabulas edens veritatis, quot adiit
loca,

loca, tot induit vultus, tot egit perſonas, quot ſubiit pœnas, & genera tormentorum. Filius nempe Dei, qui amoris vi, dum utero Virgineo concipitur, ejuſdem ignem corde concepit, eidem exoriens in ſtabulo alimentum quæſivit à fęno, incrementum à ventis per aperta male materiatæ domus irruentibus, & in vitæ decurſu laborum agitatione vehementius inflammavit; ita morti proximus uſque adeo votis eventilavit, ut eodem teſte, nullis planè cancellis, nullis coerceri placidè pateretur anguſtiis. Quamobrem exhalaturus incendia, varia Metamorphoſi quæſito velut aditu ſeſe latius effudit. Amor quippe in Chriſto Domino motus naturam ſequens, nec deſerens jura flammarum, & motus, vo-

luit in fine velociores cùm natura, & cum flamma incrementa caloris, & lucis ampliora ſentiri.

Hujus igitur vires exploraturus ingenii percurram breviter! Metamorphoſes, mutationeſque perſonarum, quas ædilis amor, & actor in ampliſſimo Solymorum Theatro Mundo dedit. Nec vereor, quin ſpem omnem excedens venuſtiſſima varietate ingenioſus, ut numquam, appareat. attentas aures, oculoſque ab Auditorum humanitate non deprecor, neque enim opus precibus, ubi actor eſt amor, qui ſuapte natura vi pluſquam magnetica omnium ſibi corda, menteſque conciliat: Per ingenioſam ergo divini amoris veluti fabulam retexamus hiſtoriam.

Ser-

Digitized by Google

Seruator generis humani mortem, qua nobis vitam redimeret immortalem, proximè ſubiturus, non eam ut fatum exhorruit funeſtiſſimum, ſed ut nuptiis diutius expetitis avidius occurrit, hinc nuptiarum de more ſtatuit tempeſtive ſolemni epulo celebrare. Indicitur ergo Sionis in triclinio grande convivium, àmicis nempe, inimicisque, in quo amor ſibi partes arrogans & inſtructoris, & miniſtratoris, & promi, linteo præcinctus, convivarum non tam manus, quàm pedes ad majorem benevolentiæ ſignificationem poſcit abluendos; tum lautior futurus convivator, non Apollinem à Lucullo, non patinam á Vitellio mutuatur, in quam millena infarciat exculenta, ſed parvo contentus, in fruſtulo

panis, hauſtuque vini menſam prorſus apponit immenſam. Sed oh ingenioſi amoris argumentum ingens! infinita nedum multa parvo complectitur. Verbo enim uſus pro manu (quod non ſatis admireris) bolum conficit, cui parem ingenio, manu, ſtudio, natura condire deſperet. Nimirum artificis ingenium eò viget mirabilius, quò maiora minoribus, & apparatu ſimpliciori ſtupenda magis perpetraſſe cognoſcitur. Et quidem prodigioſum ferculum quis ibit inficias? Quando cuncta complectitur cibus unus edulia; eſcarum condimenta, ſapores, atque delicias, cum auctorem omnium Numen ſubactum in eſcam complectatur. Nemo hic Memphim revocet in memoriam cum eliquato unione

Cleo-

Digitized by Google

Cleopatræ, pretioſus fuit ille quidem, ſed inſuavis, ſi demas gulam ambitioni, cui abblandita eſt Regina Regni patrimonio magis, quàm palato: bolus nempe hic omni conditur delectamento ſuavitatis, ac propterea emptorem non inveniat, etiam ſi Terra, Cęlum, Aſtra in pretium coeant. Regina Regnum obligurierit, ſed Regnum perdidit, dum deglutivit unionem; hic pluſquam pretium Imperii quam pluribus propinatur, & cuique ſtabilitur, dum abſorbetur, imperium. Sic Divinus convivator ex veterum adagio panem album pinſat amicis ſuis, quo pignus exhibeat fęlicitatis ęternæ. Pani non impar Vinum admiſcetur, ut enim illum intimæ fervore caritatis excoxit, ita hoc è venis tamquam ex

uvis expreſſit pondere dilectionis. Sed vide amãtis ingenium, non ipſe ſolus metamorphoſi ſubiicitur., at menſam quoque ſubiectam voluit mutationibus formarum haud imparibus. Tranſit panis in carnem, caro ſpeciem induit frumenti, mutatus eſt liquor vitis in vitæ liquorem, & cruor vini ſpeciem ſibi reſervavit. Quod verò nulli umquam hominum veniſſet in mentem, Promus ipſe, Condus, Inſtructor epuli Convivator factus eſt, & Convivium. Ulterius perge, in convivio deteges filtrum, quo amor ad ſapientem uſque inſaniam inardeſcens, ut ille nos deperiit, ita nos perditè Auctorem noſtrum amando vult ſapienter inſanire. Hinc idem, qui caſtiſſimus ignis eſt, noſtros deſcendit in Sinus, ſive concre-

ſcat

ſcat ut panis, ſive liqueſcat ut vinum corda omnium inflammaturus. Altius quoque collimat amor. Hominum ſalutem inſtauraturus, quæ in eſu pomi corruerat ex appetentia Divinitatis, de omnipotentiæ promptuario profert amuletum, in quo Divinitas vel integra devoretur, ut quam homo male comedendo perdiderat, comedendo bene recuperet. Huc ò sì ſapis, convola Evæ ſoboles ambitioſa: huc famem advoca pluſquam paraſiticam, vel in Panis mica vel in vini guttula totus porrigitur Deus; ut Amor, qui Deum in hominem tranſtulit, hominem pariter tranſmittat in Deum. Ne timeas famem in poſterum, quamuis una totus Deus commeſſatione voretur, nam quò menſa reparetur ad arbitrium

cum fame, haud unà cum morte defectura, hominem inſtituit amor artis, & facultatis hæredem ſuæ. Nec doleas, quod menſa palatum non vellicet, gulam non proritet, non manum alliciat, non oculo blandiatur; pia latet hìc fraus, ut innocenti dolo impiam fraudem Serpentis eludat. Pomi pulchritudine, ac ſuavitate nobis ille Cęlum eripuit cum immortalitate, ac hæredes mortis inſtituit. Hæc neglecta oculis eſca, neglecta palato, gutturique, vitam reſtituit immortalem, plenitudinem erogans gratiarum. Concludam planius. Serpens boni ſpecie malum intulit, Amor nec boni, nec mali apparitione bonum reddidit integerrimum. Artemiſiæ ingenium, quid ſuſpexit antiquitas? quòd ut Mauſolo

coniu-

Digitized by Google

coniugi jam extincto vitam aliquo tandem modo impartiretur, reſectæ cervicis in cratere nova inſtituta potione, cineres omnino frigentes abſorbuerit? Doloſo quidem ſub cinere flāmas aluit cordis ſui, in conjuge tamen nec ſcintillam excitavit. Donare potuit ſepulto tumulum ſpirantem pectoris ſui, ſed viventis tumulus non potuit evadere. Nimirum laus hæc uni ſervabatur Divini Amoris ingenio, ut lapidea hominum corda ſepulchrales animaret in lapides, eademque ſibi viventi ad gratiæ vitam revocata ſpirantia ſepulchra conſtitueret.

De convivio convolat in hortum repente Salvator, & e menſa remota Amor cum eodem efficitur de conviva colonus, ut culturam exerceat

quam cum Parente agricola ab omni æternitate callebat. Noverat ſiquidem hominem eodem loci ad ſalutem reſtituendum, in quo ab eadem longè receſſerat. Cum ergo in Horto, eodemque Paradiſo voluptatis ſalutis noſtræ ſpes a radice quodammodo exaruiſſet virulento alitu Serpentis afflata, ubi nam poſſet fęlicius revireſcere, quàm in alterius viridarii Paradiſo? Quoniam verò in Damaſceno voluptas nobis offecit, ut dolore juvet, cultor Amor Getſemanem ingreditur, ubi ex Bernardo plantæ vernant dolorum, ac pœnarum, ut quemadmodum voluptas errorem traxit, error pænam, cui comes it dolor, ità dolorem ſequatur cordis, mentiſque ad ſaniora revocatio. Hinc remedium certius malo

agri-

agricola noſter allaturus, cępit tædere, pavere, & meſtus eſſe, voluptates humanas ſibi vertens in pænas, nobiſque ſalubrem de pænis ſuis faciens voluptatem. Solum porrò, quod à labe primi Parentis ſilveſcebat in dumos, purgatum volens, ac eruderatum illos ſtirpitus eradicat, & ne iterum male progerminent, vel igne ſuo comburendos, vel ſibi (qui Paradiſus eſt deliciarum) reſervat contexendos ſpineam in ſepem, an in ſertum? Arborem ſcientiæ ſecuri non deicit, non avulſam ſolo proſternit, ſed ut in fructus autumnet meliores, inoculandam ſeponit divinæ ſurculo ſapientiæ. Tandem ut ſegetem terra promittat uberiorem, non aqua de more, non extra morem cum Xerſe inebriat vino, non cum

Ada-

Adamo ſudoribus , ſed largo flumine cruoris ſui per venarum ductus cordis e fonte derivati , Nilo non impar inundat. A tam inſueta cultura non expectemus beatam florum , ac fructuum ubertatem ? Humano de Sanguine olim irrigatam Terram in Jacintum effloruiſſe Poetæ fabulantur , & Nazarei Sanguine tellus irrorata non erumpat in ſobolem planè floridam? partus non edat litteratos ? Quid igitur mirum , ſi (ut legitur in Hiſtoriis) in flores pullularit Getſemane , qui ſub nomine Paſſionis notis inſcripti ſanguineis vernant gratius ? tanto præſertim cultore, qui , Auguſtino docente , novit vel tormenta in flores vertere , cum blanda aliis , aſpera ſibi ſoleat reſervare , ſibique ſeveritatem ſe ponere , quò aliis blan-

blandimenta relinquat.

Quoniam verò Nepotes Adæ non omnes adeo emunctę ſunt naris, ut in odorem currant aut florum, aut unguentorum, & plerumque vix trahi ſinunt in vinculis caritatis, id optimè Amor intelligens properat in vincula, quæ cum proditore Juda Scribarum livor, & Sacerdotum illi paraverant, hiſque licet aſperis dat ſpontè manus. Vincitur ergo, quò funes, & catenas planè ferreas transferat in vincula, nodoſque caritatis, quænam enim inter propria vincula recenſeat cariùs, niſi quæ aliis debita ſibi uſurpet ardentius? Iterum quęnam gratiori nexu hominum corda devinciant, quàm quæ ſolutis nexibus impietatis nectant arctius Deo? Quod ſi catenatis ire manibus reorum eſt, qui-

bus

bus trahuntur in jus, ac Judici ſiſtuntur, hinc intelligimus Amorem Reum agere. Et profectò Reum agit, non niſi tamen amoris, & innocentiæ, cum aliud crimen neſciat admittere, quàm nimiæ benevolentiæ, qua tandem nocens fiat de innocente, ut ſibi luenda aliorum ſcelera deſumat. Novo Reo nova Judicij forma decernitur, veteri prorſus inverſa. Oſculum pignus amicitiæ accuſationis tranſit in libellum, in teſſeram proditionis. Vincitur Libertas, corripitur Innocentia, Sapientia reprehenditur, contemnitur Majeſtas, Populi Principem criminantur; Filii Parentem urgent in mortem, Virtutem damnat Improbitas, Scelus Sanctitatem. Agnoſcitis opinor Amantis ingenium, qui ut

do-

donet innocentia criminis conſcios, alienæ culpæ nocentem ſe fecit, & depoſita candidiſſimæ vitæ trabea, ſceleris alieni veſtitur endromide, ut qui culpa non poteſt ſua, videatur ſaltem aliena ſordeſcere. Miror magis inter tot vera crimina, quibus malè palliatur Reus, impingi falſa, teſtes auritos acciri, ubi tot oculati numerantur, & participes, quot Tribunal ſpectatores, actoreſque circumſtant. Nimirum livoris eſt & vera non cernere, & falſa componere. Præterea in Reum cauſam urget Invidia, noxas exaggerat Impudentia, Odium, Falſitas, Furor. Quid his opus? cum ultro Reus de ſe fateatur? Interrogatus à Præſide tacet. Nonne Rei ſilentium crimen fatetur? Altum quoque ſilens objecta non refellit, non redarguit

Digitized by Google

guit criminis delatores, nc videlicet actores ipſos criminatores reoſque falſitatis evincat. Tam bene rei perſonam ſubſtinet, ut nemo Reus extra fabulam tam bene ſe gerat, quàm Amor ipſe fingendo.

Suſpicio pulſat hìc animum, dum Amorem non tam apud Judicem ſtãtem adverto, quàm ante Pontifices, ne Victimam potius agat, quàm Reum. Ita ſanè, Victimæ partes implet, & quidem propitiatoriæ, cum Terræ Cœlum, Homini Deum conciliaturus advenerit. Victimæ nulli maculæ, nullis criminibus obnoxiæ, quis ambigat, ubi quemadmadum Reus quilibet juſtitiæ victima debetur, ita pro voti Reo benignitati Divinæ, Reus victima ſolet mactari? Utrumque igitur dicam, quando, quod ære non eſt ſolven-

Digitized by Google

vendo, crimen in corpore luit univerſorum. Ergo i lictor, aut popa, virgas expedi, ferrum acue, Crucis aram attolle, jam enim morti adjudicatus eſt Reus, & Victima. Verùm ubi non ultra verbis agendum eſt, & ore, ſed verberibus, ac manu, veteri depoſita in novam formam Amorem traſire conſpicio. Ducitur ad laniénam promptus adeo, ut non capite damnato ſimilem, ſed pugnaturo arbitreris incedere, Hoſtemque provocanti ſimiliorem. Ea graditur Mentis, oriſque conſtantia, ut proprii roboris conſcius ad victoriam prodire certam, palmamque videatur. Inſpice bellatoris inſuper egregii virtutem. Legem ſibi ab hoſte præſcribi depoſcit, niſi potius inauditam indicit ſibi, ne victor habeatur

pu-

Digitized by Google

pugnæ niſi vincatur ; ne cedat, niſi cædatur : ne dejiciat hoſtem, niſi dejectus occumbat. Neque enim arte alia ſe Amoris prodat fortitudo, niſi mortem vincat, mortemque per atrociſſima ſupplicia ſubeundo. Quare pugnaturus pro thorace pœnarum induit auiditatem, pro umbone munitur tolerantia, nuditate utitur pro lorica, pro caſſide tegitur fortitudine. An quia pudet cum Hoſte congredi calibe, ferroque ferociente? An verò pudet æſtum occultare pugnandi vel leviſſimo velamento? An pudet doloris lentare ferociam, aſperitatem vulnerum emollire? An potius tui pudet, ſi vel umbra levi fortitudinem cęles, ſi mollis appareas, vel imbecillus? Rejicit ille indumenta, nudum exhibet pectus, dorſum, & latus; quin

quin obligatis quoque manibus, ac ſilens certamen aggreditur, vocem cohibet, ne hoſtem ejuſdem tonitru deterreat, quam ut ferale fulmen expertus eſt in Horto, dum in Terram cecidit ea audita retrorſum. Si referentes audiamus, bini, Seni, centenique è contrario manus conſeruere; quis enim audeat ſingulari certamine cum hoc congredi Sampſone? Virgis adoriuntur, ac funibus, fuſtibuſque ferreis ſtellarum aculeis exaſperatis, verberum procellam excutiũt, ſævamque vulnerum tempeſtatem. Verùm tot arma, tot manus, tot Hoſtes ab inermi ſuperantur, nec aliud obtinent, quàm ſibi notam in imbecillitatis, illi Lauream virtutis triumphalem. Unus apud Columnam pedem figit Columna fortior,

tior, fortiterque ferendo, licet confracto corpore, animo tamen infractus delaſſatos cogit impavidus à laniena deſiſtere. Cæſa ſunt non membra, ſed vulnera, tota defluxit laxitate venarum cruor, itaut non tantum arena, ſed eo Hoſtium quoque facies erubuerit. Riguit penè corpus in cadaver, & tamen, quæ vis eſt dilectionis, ulterius in certamen exæſtuat, ac ſi flagra abierint in flabra, flammas non ad exitium eventilantia, ſed ad excitandum incendium, aut animum ſuffecerit defectus virium, lætnmque jam proximum ad lętiorem tolerantiam animarit. Jamque Miles adverſus cogitat de diſceſſu, ſed antequam exeat martis campo, de more victorum, manus dando porrigit herbam victori. Fallor: novo mo-

more potius renovat pugnam, dum herbam porrigit cæteris armis crudeliorem, nempe non floribus intextam, ſed ſpinis aculeatam. Enim verò coronam meritis opportuniorem deferre nõ potuit, quàm ſplendidioris argumentum tolerantiæ. In diademate ſcilicet Spineo veriùs, quàm in auro Abdolomini, mala omnia deferuntur toleranda; quot enim cuſpides exerit, tot ſemina capiti committit gemituum, ac lacrymarum: quot aculeos promit, totidem virtutis apices ferendo fortiter cogit attingere. Vos ego teſtes advoco truculentiſſimi carnifices; quid enim aliud ſentitis, dum Lacerna donatum, purpurea, ſceptroque arundineo, aculeato coronatis diademate, quàm non ſolum victorem, ſed Regem quoque Dolorum

rum eſſe renunciandum? Siſte tandem miles, nec ultra ferrea manu, vibrataque arundine ſertum terebrato capiti tentes altius inſigere, ne vacillet. Tenacius ille complectitur amando, quàm ut facilè ſibi eripi patiatur. Tu verò jam prodi Caritas coronata ſuperbius, quãdo Spina Divino ſaturata cruore pretioſiores abit in gemmas.

Spina quondam Plantarum Regina fuit pronunciata; at nunc planè Regnum adire crediderim, nam ſi Regnum amat Dolorum, quò plurium Populorum ſortiatur Imperium, non habet. Regnum invadenti Amor non abnuit: metimur amorem à dolore, cum plus amet qui magis dolet. Quamobrem ut Spina regnat inter dolores, ita regnat Amor inter Spinas. Regnum itaque Spinæ

ca-

Digitized by Google

caput eſt, & ſimul Chriſti Caput inter Spinas dolorum Rex eſt. Quando ergo corona donatus dictus Rex eſt, deducatur in Solium. Lictores cum Faſcibus, virgiſq; præiere, Pompam ducunt planè congruam, latera ſtipantes cuſtodes aulici, hoc eſt latrociniis infames, turbæ comitantur plaudentes, hoc eſt illudentes, dum inſanis clamoribus pro vita mortem apprecantur, Calvariæ vertex patet in Regiam. Crux erigitur in Solium, in quo ut pleniorem adeat Imperii poſſeſſionem multiplici ſuffigitur clavo, ut eam non ſolùm pede poſito ineat, ſed tota quoque mẽbrorum mole. Triplici caractere epigraphe conſcribitur, quia Terræ, Cœlique, Herebiq; evulgatur Imperator. Age miles in ludos, in aleam incumbe, &

Digitized by Google

quando tanto Principi Terrarum Orbis plauſurus exultat, pirricam ſaltat telluris pars ima, in choreas lapides pede feſtivo ſubſultant, & inter ſepulcra turbinantur in gyrum, pro feſtis ignibus deciduiſque inſuetis motibus aſtra diſcurrũt, Haſtiludio inauguratione͂ exorna. Audimur. Ludus extra Ludum impiuſque paratur. Amor quippe, qui captus oculis deſcribitur, non niſi parem admittens, haſtatum Militem elegit, & cœcum. Qui, cœcus licet, corda novit vulnerare, non niſi à cœcutiente in corde ſauciari permittit. Oh factum benè! Cœcus haſtam vibrans latus aperit, collimat in Cor, quod ut poſtmodum pateat lancinatum, ac mortis victor, latus quoque lancea reſeratur, haud repagulis obſtruendum.

Ab-

Digitized by Google

Abſoluta Spectaculorum ſerie novo Triumphatori novum abeunti oſtium decuit aperiri. Abiit itaque Actor egregius, auctor maximè ingenioſus per tot metamorphoſes. Convivator lautiſſimus, Agricola Sapientior, nimiæ Reus dilectionis, Divinæ miles fortitudinis, Rex dolorum, apertum reliquit ingreſſum abeundo, an ut quilibet ingredi feſtinet tanquam amoris in Scholam? Ingredere tu quoque, & diſce pro reum varietate te fingere, dolere dum amas, amare dum doles, ſic ſcænam ne dum terris, Cœlo quoque gratiſſimam exhibiturus mutatis identidem vicibus, formiſque non minus animo quàm corpore; hic enim unicus eſt Amoris finis, & ſpectaculi.

Digitized by Google

PRINCEPS IMITATOR

In regnando Divinitatis in annuo Funere

GREGORII BONCOMP. PONT. MAX.

Oratio habita Romæ 1648.

SI quantum coronata Principum capita ſupra vulgi conditionem evehuntur Imperio, tātum ſapienter imperādo procederent animi, & æqua Regnandi lege ſuccederent Numini (Emin. PP.) non vererer ego Reges cum iis quos objectæ dominationis fulgor ad genua minores inclinat, veluti ſpirantia ſupremæ naturæ ſimulacra Syderibus admo-

Digitized by Google

ta, proximaque Divinitati ſuſpicere. Habent illi in coronaria luce, immortalitatis in ara, in procumbentium adoratione Populorum, in ſceptro, nutuque, Divinæ ſpeciem majeſtatis: Mentem adde Regiam, adde virtutem, eoſque hoc ſpiritu cœleſtes velut umbras, animante, quò diſcriminentur à Deo infinitate ſublata vix habent. Virtus nēpe portio Divinitatis conceſſa mortalibus, quò ſe liberalior infundit animis, eò mortales diviniores facit. Et verear hodierna luce Gregorium Boncompagnum Pontificem hujus appellationis Tertium decimum inter Optimos Maximum, ex Oratore factus adorator venerabundus excipere? Cujus ornata virtus infulis, poſt ætatem ſpirat in Sæcula, & funere quot annis rena-

Digitized by Google

naſcente nunquam extinguenda renaſcitur? qui Summi Rector Imperii non tam divinę ſibi particulam auræ, quàm geminata manu ampliori largitate ſuperfuſam probat? quò & quæſitum meritis Vicariæ Divinitatis nomē uſurpet ęquius, & æquiſſimo jure ſimulacrum Numinis adoretur in Terris. Age, ſi non ejus virtuti, veſtro ſaltem grato animo P P., cui nulla vnquam ingrata cecidit Parentis optimi recordatio, me facturum ſatis opinor, ſi majori perſona, quàm hic pulla detur in veſte, rudi Orationis in tabula Gregorium proponam, fuiſſe ſcilicet (ut ità dicam) Æmulum Dei, quòd regnando ſemper per veſtigia Divinitatis inceſſerit. Si quam temeritatis notam ſuperbia hęc appellatio præferre videatur, ea me

Digitized by Google

liberat Magiſter ille Sapientiſſimus; qui vix cæptis à Supremo Purpuratorum Senatu comitiis eadem die mortalium capitibus, quibus ipſe cœlo delapſus olim inſedit ignearum ſuffragio linguarum, Boncompagnum impoſuit,& qualis decuit electorem Deum, purpureum in Flammis Vicarium ſui docuit adorari Gregorium.

Tria ſunt in hac rerum mole corporatarum,quæ luce ſua, ſuaq; magnitudine ita feriunt oculos, animos occupant, ut ea ſpectantibus non niſi ſupremam ingerant architectam ſui Divinitatis manum, eademque, ut olim, à nuda meliori luce Philoſophia negatam, Supremo Auctori venerationem extorſerunt, ita nunc à mortali quocunque Regnatore moderatorem Deum longè ſecernunt.

nunt. Ea ſunt interminati Regni fines, optimus ordo rerum, abſolutiſſima non tam ad neceſſitatem, quàm àd ornatum tum partium, tum univerſæ molis inſtructio, neque enim Princeps ullus tantas naturę tractet habenas, quin mentis immenſitate, æternitate conſilii, infinitaque penitùs benevolentia polleat, jamque impar oneri Deo còncedat minòr quiſquis aliqua ex parte ſi minorem fateatur. Has animi Dotes Divinitati proximus, longo licet intervallo, Gregorius æmula comprehenſione in ſe concluſit: quod ut clariùs appareat, ultro ipſamet occupata univerſi Orbis amplitudo, leges datæ, ſubſidiaque mortalibus impenſa, divina quadam largitione demonſtrent.

Hæreditariam Pontificiæ ditio-

tionis immenſitatem, cui Cœlum, ac Terra confinium ponunt, ſupremam propemodum æquare nemo unus ignorat. Eam Gregorius ad Vaticani culmen elatus adiit quidem infinita cum poteſtate, ſuam tamen non agnoſcit, niſi quam de more calcans animi veſtigio, poſitoque curarum pede ſuam facit. Levem ille veluti nominis umbram, & inania pondera titulorum reſpuit Imperia, quæ mentis præſentia, vi ſua complentis, omnia, non premat. Verùm quas ille Mundi plagas vivida mentis capacitate non occupet, qui vel diſiectas rerum appēdices eò cordi propius admovet, quò longius ab oculis natura removerat. Ite per ſingula: Dominationis in aditu ipſàmet inaugurationis die Romanæ Urbis pomærium,

quod

Digitized by Google

quod olim Principum alii Civium ſanguine, cura meliori Boncompagnus impleturus in mendicos, egenteſque, quinque ſupra triginta aureorum millibus gaudia ſua partitur: Apud fabulas nata Pallas aurea pluvia Rodum irroraverit: Gregorius in natali ſuo Romã extra fabulam aureis imbribus inundavit. Nemo ea die præſens non ſenſit Numen Pontificis, nam qui non potuit pedibus oſculum, pretioſis manibus impertivit. Nemo Gregorianum aurum non in manibus, nemo non in oculis, Gregorium non in corde geſtavit. Secundùm Romam, ſecunda cura ejuſdem in corde ſucceſſit Italia, cujus partem perampl am, nempè cui dominabatur Princeps, eadem aditi Pontificatus die viſens animo, gravio-

ri ſolutam voluit Farinæ vecti-gali. An potuit latius Provinciam implere ſollicitudo Parẽtis, quàm ſe viritim omnibus impendendo? Quiſquis hic aura frueris, Pontificio veſceris congiario, & alimento nutriris gratiori, quia nemini dempto. Ut enim plenior manus ori cibum apponat, auctus Imperio minuitur ærario Princeps. Mutas tamen Italia pondus non excutis, novo Regnatori, novum debes tributum amoris, & gratiarum. Eadem die (proh diem Anno pleniorem) dum præcepto pedum officio ad communem lætitię ſenſum humeris Populorum inſpectandus infertur per gradus Vaticanos, gradum ſibi fecit in Germanos, Gallos, Hiſpanoſque per Legatos Imperantium fœdus inſtaurans à Deceſſore

percuſſum, quo ſydere Ottomano ſuam in noctem fœdius occluſo, Libertas, Victoria, Quies Europæ decernebatur. Qui porrò adeò ſollicitus, fauſtuſque hæret in limine, & Imperio tener, Giganteo tamen pede Europa calcata, Aſiam meditatur, & Africam, confirmata luſtris ætate, ac poteſtate, quò credimus penetraſſe? Si cordis, animique vocale ſpeculum eſt lingua, Orbem ille Terrarum, Urbis inſtar, concepit animo, eo prorſus conſilio, quo (ſi Stagyritæ fidimus) Mundum gubernat Deus. Oh Urbem planè Divinam, cui circumfunditur Stellarum illuſtre pomærium, quam pro mœnibus obvallant prima rerum elementa, cui Senatus Regius eſt, quia Regum. Hoc ſenſu mentis non ſecus ac ſolemni pompa per

Ur-

Urbem incederet curarum apparitura, & graviori famulatu trans Indum, & Gangem ad ultimos uſque Sinas, Seraſque ferebatur, hinc Aſiam pervagatus divertebat in Americam, Africam perluſtrabat, redibat in Europam, & ne partem ullam ſub ingenti curarum mole laboranti oblivio ſurriperet, apud animum volens oculos officii monitores, oculis ſubſidium comparavit à pictura; hinc Orbem univerſum ſuas diviſum in partes, in Regna diſtributum, artifici ductu pennicilli Vaticanam ſubire juſſit ambulationem non ſolùm ut uno, eodemque ſub tecto habitarent Imperia, quæ unius fecerat mentis inquilinos, ſed etiam ut color oculos alliceret, oculi mentem invitarent, mens verò leni ductu Gregorii ſolli-

ci-

citudines attraheret. Sic nec ante actis ignorata ſæculis, nec priſcis fabuloſa temporibus, hodieq; vix credita, vix paucorum uſurpata luminibus nomina, videlicet Antipodas, imitatorem Numinis Regnatorem mentemq; latebant mundi capacem. Noſſe cupitis, quàm gravi pede tot Terrarum ſpatia peragrarit? In ſingulas ejuſdem oras, tractuſque deſtinavit fideli præditos ſagacitate viros, qui ſedulò gentium mores, ingenia, Ritus indagantes accuratius ad ſe referrent, ferrentque viciſſim ad illas in paginis, in auro Gregorii curas, quibus adeo poſuit altè mentis veſtigia, ut in ultimis Terræ finibus Gregorium hodieque credas incedentem, nomenque felix non mēdaci pectoris echo geminari. Non tamen (quod

animi ſolent imbecilliores) majora dum tenet, minora non cernit, ſed cum Deo quaſi dilatet Imperium, & grandior aſſurgat ad minora dimiſſus, pauperum æquè caſas, Regumque Turres regali ſubit veſtigio. Scrutare pectus, & altiſſimum illud Gregoriani cordis intuere Sacrarium, reperies ibi Regum, Regnorumque compendia, mundani ſummam Imperii, in qua naturæ mores, familiæ, fædera, Ditiones, diſſidia, æraria leguntur imperantium. Reperies Breviarium alterum, in quo regna miſeriarum, regeſque miſerorum, capite cenſi, proletarii, proliſque Populus infælix, tributa lacrymarum, morbi vectigales pericula recenſentur. Tertium denique reperies Divini Parentis in ſinu ſummarium eorum

Sa-

Sacerdotum, qui ſæpiùs ad aras humanæ miſerationis litabant lacrymis, quàm immortalis Agni ſanguine, Sanctitatis Altaria cumularent, quæ omnia vaſti cordis ambitu complexus gemmas, gemituſque colligatos æquali procuratione miſcebat. I nunc ambitio vetus, & diurnas, nocturnaſque ſalutationes refer in ſyllabum. Præſulis noſtri eſt in librum, cenſumque referre ſalutem, curaſque ſingulorum.

Verùm, inquies, cognoſcere in aperto jacentia Divini Regnatoris amplitudinem non adumbrat, niſi etiam, quæ occulta ignotaque præterlabuntur, vel fugientia deprehendat. Intima intuetur Deus, eaque notitia mirum quantum dilatet Imperium. Ergo utrum Gregorius nouerit, quæ latent,

in-

inquiris? Quibus reguntur occultas artes quibus reguntur Imperia Dynaſtarum? At eas objecta mole conſiliorum Gregorius aut prævertit, aut eluſit. Quæris cæcos animorum motus, impetuſque Regnantium? At obnitentem ſenſere Pontificem ne apertas in iras erumperent. Quæris arcana moderationis conſilia, & vix ulli conſignata gubernandi principia? At quoties veluti præſentem, cenſoremque ſunt experta? Gregorium ſcilicet ut frequens uſurpabat illud Bernardi: Pontificis eſſe omnia ſcire, ita rerum ab inveſtigatione deſiſtebat numquam. Hinc menſa brevis, & ne inter edulia jejunaret à curis, jubebat ſibi ſecretiores lacrymas opem implorantium pagellis incluſas à memoria dictis pro bel-

bellariis apponi, quæ non raro lacrymis ſuis ſuavius inſpergebat. Hinc ſomnus brevior, non enim ſemel inter altiſſimæ noctis tenebras dum ſomno ſepulti ſterterent minores aulici, ad ea, quæ poſſent elabi, Gregorius intento jugiter oculo vigilabat. Rem planè inauditam accipite.

Erat in Urbe nobili de genere ortus Senex, degener tamen animo, ac vilis, qui cum decoxiſſet, ne turpiſſimam decoctoris notam incurreret, ac venalis iret fama ſub haſta, ſceleſti negotiatione pro nomine animi bona dilapidaturus, occultè ganeonì cuidam opulentiſſimo venalem propoſuit pudorem filiæ. Filia hæres miſeriarum uno dives fundo honeſtatis integerrimæ, hoc unum pro vita parenti rependere co-

ge-

Digitized by Google

gebatur. Tam bonæ merci non defuit iniquus emptor, quinimo libens duodecim aureorum millibus paciſcitur ſcelus. Proh quanti emitur ſcelus, tam horrendum, tam nefandum! Jamque tenebras opperiens in poſſeſſionem inhiabat immitti. Indignum fâcinus laneo graditur pede, lucem formidat, amat umbras; ſordida fames auri, ſcilicet in in Sene, in Principe libido infamis, non luci, non auræ, non teſtibus fidit, nutu tantùm regitur, ac ſilentio; Et profectò ubi Romanæ decus familiæ, ubi Principis fama periclitabatur, infamiæ nota omnibus inurenda, ſi facinus vel ſuſpicione ſe proderet, quænam profundæ ſatis tenebrę, quæ nox ſatis concubïa, quodnam ſilentium ſatis elingue?

Fue-

Fuerint tamen, ut libet, obſcuræ aliis umbræ, fuerit mutum ſatis, & elingue ſilentium, num Gregorii ſollicitudines effugiſſe arbitramini? Regnator oculatiſſimus rem intelligit, & protinus immittit, qui eodem temporis puncto reſciſſo fœdere, pretio eodem integram adhuc puellam redimat, & ſacra occluſam turri Danaen laudabilius pretioſo imbre coemptam collocet in tuto. Sic vetuit genitoris ædes ſpoliarium fieri pudicitiæ, parentemque honeſtatis in prole parricidam evadere. Bene eſt, quò curas hucuſque extenderit ſuas Boncompagnus excepiſtis, ſed non dum integras excepiſtis. Re bene confecta fidus Miniſter multa jam nocte redit in Aulam, proxima luce rem bene geſtam Principi ſuo gratulaturus,

Digitized by Google

rus, Proh facinus quavis luce digniſſimum? Gregorium preſſum mole curarum, ætate gravem viribus acciſis, imbecilla valetudine, de genu adhuc exorantem invenit, ſupplicemque inter amplexus Numinis e Cruce pendentis, ne ſibi ac Deo Virgo illa eriperetur, neve Erebi monſtrum eandem fœdo ſpiritu macularet. Quieſce tandem Senex optime, quieſce, abundè curarum impendiſti in unius Puellæ ſalutem, ſin minus æquas Deum, quod fieri nequit, ſaltem pro viribus imitaris. In futurum te conſopito Numen idem pro te reget Imperium quando te inſomnem adeo expertum eſt Vicarium ſui. Lacrymæ tuæ pupillarum filiæ abibunt in Sydera, quibus Cœlum vel ad tui ſpectaculum redeat oculatius,

vel

vel tibi famulando ad rerum cuſtodiam elaboret vigilantius. Quantum interim Univerſitati rerum impēdiſſe curarum credendum eſt, qui tantum tribuit filiæ, ac miſerrimo Genitori ? interim pro certo tenete, unicuique hominum generi procurando non imparem ſe præſtitiſſe; Quem enim vidimus Numinis in amplexu, ſcimus ab eodem ſejūctum numquam in rerum gubernatione, quò totum mente Deum indutus, ubicumque regnabat ille, regnaret quoque Boncompagnus. Et regnavit profectò, ipſique Stellarum Orbes regnantem coluere, ſive cum immortalis accolam plagæ in ſecreto Syderum Senatu delectum cum cæteris Regum Legatis ad obſequia deſtinarunt novi Principis, ſive cum extra

Cho-

Digitized by Google

Chorum ſaltantes, certiori quodammodo lege choreas edoctæ ad novos Gregorii numeros Stellæ numeroſius Olympiadas, & Luſtra ſaltarunt.

Ades huc cum Illuſtriſſimo Parente Boncompagni, illuſtrior Patria Bononia Heroum fœcunda tellus, & ſimili ſemper Metallo Silva frondeſcens Hugonem quondam tuum contemplare manus jam in Solem, & Sydera, nedum ad extremos terræ limites cum Sole tendentem. Nec pudeat ultro anguſta fateri naſcenti mænia, & ingens licet familiæ tectum; cui Capitolium, cui Roma, cui Terrarum amplitudo anguſtiora fuere. Deſine laxare parietes, proferre confinia, Regna meditari, mentis vaſtitatem haud umquam æquatura: potius cum Philippo Rege Macedo-

cedo-

cedonum dimitte Alexandrum tuum cum monitu: J, Bononia te non capit, non Europa quin imò nec Orbis Terrarum capit, alibi tibi Regnum quære vel inter Aſtra.

Nos interim, qui Gregorium novimus interminatos Regni fines jam occupaſſe, non fatebimur immenſa mentis capacitate ſimulacrũ Divini Regnatoris extitiſſe? Jam verò intulerit ne ſyderibus jura, an ex aſtris reportavit in Terras, quò hoc etiam nomine Divinitatem imitaretur infinitate conſilii (quod ſecundo loco ſtatueramus) inquirimus. Quamquam non licet ambigere, an illi Divina mens fuerit, atque conſilium, cui ſemper à conſiliis ad fuit Deus. Adire quippe negotia, rerum tractationi manum admovere non aude-

 bat,

bat, quin per horam poſito in Terris genu quotidie cogitatione traſcenderet nubes, ut leges inde referret ſupremæ ſapientiæ manu, ſigilloque ſignatas.

Quod ſi rerum ordo (in quo potiſſimum mentis ſpectatur amplitudo) ad Regum exemplar poſitus à Deo in eo maximè ſuſpicitur, quod ita ſingulæ partes immutabili lege ſuos intra fines, ſeque in officio contineant, atque ita mutuò ſibi cohæreant, ut optimum quid efficiẽdo ad uſum meliores eſſe non poſſint, qui melius hũc ordinẽ humanus imitetur Imperator, quàm ſi legibus æquitatẽ, ęquitati judicia reſtituat, dignitates, & præmia virtuti diſpenſet, Sacrorum Antiſtiti obſequia, Regna tranquillitati, Deo ſubjiciat Orbem, ac Religioni?

Vul-

Vultis Principis æquitatem? Fora, litigatores, Reos, judicia, circumſpicite. An non mitiorem pariter, & æquiorem nacta ſunt e Cælo Draconem, ſive humana jura dederit in Capitolio, ſive Divina ſedens in Vaticano? Quid hic ego judicia? Quid fora commemoro? quando vel ipſam redarguit, pene dixerim, Juſtitiam, ejuſque Codices, ſive ſua, ſive aliena culpa peccantes aptiſſimè corripuit, Æquitas iterum Pontificis cidare fortior facta, quàm galea Cæſarum, quid non tentavit, quid non ſuperavit? Triginta Oppidaque, Vrbeſque nec educto e vagina gladio Eccleſiæ reſtituit ditioni. Stephanum Bactorium ſupplicem adduxit jura poſcentem in Regna Poloniæ armis occupata. Genuen-

Digitized by Google

ſium Reſpublica Regnorum ę-
ærarium, & Romanæ Seminarium Aulæ fruitur libertate, quod Joannem Auſtriacum victrici claſſe militariter inſultantem procul faceſſere Gregorius imperarit, tantoque obſequutus Imperio Joannes deflexerit aliò. Divinam, ſi potes, nega Juſtitiam, cujus fulgure vel afflati Principes trepidarunt.

Vultis virtuti præmia, meritoque largientem? Aulam petite Vaticanam, Senatum inſpicite Purpuratorum. Quatuor ſupra triginta cooptavit in Principes, & Purpuram ſemper vel ſanguine Regio, vel emeritæ virtutis oſtro coronavit. Dolere poterat eolor ambitioſus in his poſtremo ſe loco fulgere, niſi à Dextera Gregorii, à celſitate virorum, quos exor-

exornabat, ſperaſſet claritatis uſuram. Inſulę,cęteraq;officia, minora nata virtuti munera, eo jubēte quoties inſecuta ſunt fugientes, hoc eſt digniores? Quæ quidem adeo integrè diſpenſavit, ut nihil inde derivarit in ſe, non partium incrementa, non gratiam potentiorum, non futura familiæ ſubſidia, ſed una ſpectarit Sacri Principatus emolumenta. In memoriam revocate qua ſupercilii ſeveritate Purpureum exceperit Senatorem (cujus deinde humeris Vaticanum inſedit Imperium) eò quòd arctiſſimè Gregorio ſe devinctum agnoſcens palam aſſereret, apud ſe grati animi cauſa pro Gregorio futuram ſemper Boncompagni familiam. Ut audiit, graviter indignatus, ſi mentem, inquit, vel prima ſuſ-

Digitized by Google

picio invaſiſſet hanc à te Dignitatem aliò traducendam, quàm ad publicam Populorum ſalutem, ad auguſtiſſimæ Sedis hujus Decus, Purpura interdixiſſem! Oh vocem Deo, ne an homine digniorem? Certè teſſera quędam Divinitatis eſt pro ſuis Divina provehere, nullaque ſpe mercedis munera merentibus elargiri, eamque tantùm auram aucupari, quæ ad laborum, ac virtutis invitamentum faciat. Mirum ergo nemini videatur, ſi ex hoc ordine Gregoriano quatuor ad Orbis clavum ſanctioris fuerint evocati. Scilicet rerum arbiter Deus illos eligendo ſua met veſtigia per Gregorium impreſſa non ſine mentis voluptate relegebat: Vultis auctam Romanæ Sedis Auctoritatem ab eadem divinitate conſilii?

Tan-

Tanta ea viſa eſt Boncompagno regnante, quantam vix umquam inſpexere majores noſtri. Stet illa magnorum Principum obſequiis innixa, an Supremi Antiſtitis verbo apud Reges major unquam viguit fides? An gravius dictis pondus, an oraculis veneratio pronior? Corda Principum, quæ Dei ſpirant in dextera, nullius dexteritate potuerunt facilius inclinari, aut flecti. Non referam Sexaginta lectiſſimos Europæ Regulos devolutos ad pedes Libens prætereo ad unius nutum Pontificis Chriſtiani Orbis Regnatores Regna temperaſſe. Movent magis Danus, Moſcus, Suecus, licet infidæ in Deum, certiſſimæ tamen in Gregorium fidei. Urgent acrius Ceilanus, Indus, Ethiops, Perſa, Japon,

qui licet videantur appendices admirationis, alios tamen obſequentes audivimus, alios venerabundos inſpeximus. Quanta igitur ſupra tot Coronatorum faſtigia Principis noſtri gradiebatur Majeſtas? Quantus ferebatur Pontifex in Gregorio? Num adhuc ſolidiora repoſcitis auctoritatis argumenta? Iras exarmare, arma in clades expedita compeſcere, ſaxa furore miniſtrante volantia ad conſpectum viri concidere? Rogo vos Melitenſium equitum generoſas acies fraterna in vulnere corruentes, quis ad pacis ſigna revocavit? Quis unà cum animis dominationum nutantes Mantuæ Turres, ac Ferrariæ concordię dextera ſtabilivit? Quis civilia Ligurum incendia, nec ſuis extinguenda ſluctibus extinxit?

Quis

Quis Vidubaldum civibus obſtinatè Rebellibus excuſſum Urbinati de Solio reſtituit imperantem? Quis Polonum cum Sueco, cum Moſco Germanum, datis in fœdera dexteris conciliavit? An non mentis Gregorianæ vis plenè Divina? Et licèt tot ſedata diſſidia deprędicent ſatis, numquam tamen eluxit apertius, quàm cum Polonos inter, & Moſcos, inſanos animorum, armorumque motus emollijt primùm, tum frænavit, denique penitus fregit, ac ſubſtulit.

Quale dixerim bellum, cum bellum dixi Moſcos inter, & Sarmatas, ex cauſa metire, Regum erat aut Regno par Livonia. Arma tractabant Sarmata, ut ille cecinit, epoto Sarmata paſtus equo ad animi ferocitatem, & Moſcus, vel inter

Digitized by Google

humaniora urbanitatis officia bellator inhumanus. Tanto militi Duces imperabant Battorius, & Baſilius, Annibal ſcilicet alter, alter ſcipio. Baſilium Moſcorum Ducem cedendi pudor accendebat in Rabiem, Stephanum Poloniæ Regem ſpes nutrix immanes ventilabat in flammas: jamque ultra Livoniam ſpargens incendia minacior inſtabat, cum Baſilius inter anguſtias æris, & militis fruſtræ tentatis artibus aliis Gregorio fidere malens, quàm Battorio cedere, ad Pontificem de Pace poſcenda Legationem inſtituit. Quid hìc Pontifex conſilii capiat? Pro Baſilio pacem exoret? At ſi cura tangitur fidei, ſi Religionis amore Polonum inflammet, bellum urgeat, Hoſtem premat cum Battorio. Stephanus Cœlo

lo

Digitized by Google

lo bellat, Romanæ militat fidei, bellatori ſuo favent ſydera, & Pontifex conſiliator pacis importunus accedat? Pugnanti Arma, victori præmia debentur. Si uritur pacis ardore, quod communem decet Parentem, pacem quærat ab armis firmiorem: Quam Baſilius petit, non in longum itura eſt, dejectus periculo ſubſidia præſtolatur à fædere, eo evaneſcente in Arma reſurget tranſfuga Religionis, redibit audacior in Arma, vel intra Sarmatiæ viſcera Romanæ fidei jugulum petiturùs. Supplicantis ex ore preces agnoſce, pacem poſcens Moſcus pallet, quia timet. Quod metu parente oritur, occidit eo pereunte. Sed age, duraturam in ſæcula pacem Baſilius petat, num Bactorio ſuadeas, fraude non ſe-

Digitized by Google

mel eluſo ? Victor excurrit, victorem Urbes, & Regna ſequuntur, & retardes impetum exultantis ? Ut fraude fraudem trudat, concordiæ fæderi libenter aures dabit, negotiationem patietur caduceatorem ordiri, conditiones non penitus recuſabit; ſagacius tamen non admittet, ut bellum protrahat: reſcindet aliquando, aliquando reſumet, firmabit tamen numquam: ſpe nimirum lactabit hoſtem, ut victoriam enutriat: pugnabit uſque dum vincat, ſic tandem labor irritus cadet, vel ab improbo labore erit deſiſtendum. Ridet iſt hæc Boncompagnus, &: abite, inquit, humani timoris incitamenta. Si timendum quid eſt, id eſt inconſtans belli alea, inſtabilis Rota fortunæ. Victoriæ curſum non rarò levior caſus ab-
rum-

rumpit: belli fluctus habent Remoras ſuas. Si ad Moſcum fortuna deficiat, quid à Sarmata ſperandum, quid de Religione, de Fidei Regno? Fugienti, ajebat ille, Hoſti vel auro viam ſterne. Et pacem reſpuas offerentem? Quanta pax una pariet omnibus emolumenta, vel ad annos duratura, prę ſertim dum ab hoc Solio profectam viderint, diſcent exemplo Baſilii Principes Românο fidere, ejuſque fidem implorare: diſcent nuſquam ſtabilius Regna fundari, quàm in Sanctioris petra Capitolii. Tandem ſic regnat Deus, diſcordes rerum cauſas ad concordiam in diei revocando. Temperet ergo Sarmata æſtus ſuos, me auctore. Fædus cum Baſilio feriat, meque conſiliario experiatur Orbem, & Regna ſub auſpicio tranquil-

li-

Digitized by Google

litatis ire fæliciùs. Dictis acta reſpondent, pacem precatur, ſuadet Bactorio Gregorius. Exitum commodiorem res habere non potuit, ambigas meritò, an proptior negotium ſuſceperit, an rexerit ſapientior, an confecerit ſortunatior. Quod tamen voluiſſe ne, an potuiſſe perficere, divinum opiner magis, non auſim pronunciare. Noverint, qui corda Regum flectere Divinum autumant, quique inter diſſidia Regum perperam docent imperari.

Quoniam verò præſtat aliquando bellum tranquillitati præferre, præſertim ubi cum hoſte fidei, cui nulla fides decertandum, vultis eumdem pacis Arbitrum, ſapienter Arma tractantem; ſimulque Orbem Terrarum Religioni, Fidei, Deo denique reſtituentem, quo re-

rum

rum optima collocatione vices Numinis cumulatius impleat? Sanè vultis. Et huc ille mole conſiliorum, totoque pondere incubuit, ut à ſincero Divinitatis cultu Orbis penderet univerſus. Ergo non labori, qon auro, non artibus parcit. Othomannus jam, jam coronario cingitur bello, & quò ad incolumitatem Imperij ſe vertat, penitùs ignorat. Quò nam enim ſe conferat, dum Rebellis impietas in Ethiope, timor in Perſa, in Sarmata æmulatio, in Auſtriaco, Galloque Religio, ſvb infeſto Draconis aſtro Signove gentilitiæ Lunæ defectum minitantur, ac tentant? Utinam, quod Sanctè, Sapienterque conceptum fuerat, per tempus licuiſſet conſilium ſine abortu in lucem dare. Malignos Lunæ influxus non lugeret

ret hodie Chriſtiana Reſpublica. Hæreſis verò inſidiatrix num ridet impune fraudes ſuas? Quin imò provocatas dolet in ſua damna Gregorii vires, atque conſilia. Dolet acciſas Ugonottorum acies, non tam Caroli Regis gladio, quàm conſilio Gregorii. Dolet erudito milite cæſas funditus errorum acies, luget exagitatum in Anglia Calvinum, amiſſum in Germania penè Luterum, Baium in Belgio, Dioſcorum, cum Neſtorio toto penè pulsū Oriente. Quin Orbem quoq; Idolorum veneratione contaminatum, diviſas toto Oceano Nationes excurrite, ſi placet intelligere, quot Gentes ſub jugum Latii miſerit, Bungos recolite, Braſiles, Thraces, Japones, Antipodas ferè omnes, fabuloſa quondam nomina. Parum

Digitized by Google

rum tamen fuit ætati ſuæ conſulviſſe tanti Patris ſapientiam: ad noſtros uſque dies produxit artes, quibus ſuperſtitione, ac Hæreſi debellatis, Religio, Pietas, Fides, Imperium teneant. Ventura quin etiam ſecula ætates viventi poſthumæ, (quæ ſumma eſt prudentiæ laus) promiſſa in ævum conſilia commendabunt. Suſpicite quæſo vos, Auditores, diſpoſita in hujus Aulæ coronidem coloribus ædificia, intuemini adoleſcentes exteros, quorum numerum non pęnitendum hæc auta complectitur, proh quanta Gregorii laude præcingimur! Illa Seminaria ſunt ubique Terrarum manu Sata Boncompagni, Juvenes hi Gregoriana ſunt germina ad fidei meſſem, vel in flore fœcunda. Veriùs dixerim, illa ſunt Caſtra

Ro-

Romanæ Religionis, hi milites ſacro ære conducti, ibi Sapientis Milittæ ponuntur tyrocinia, hi modo tyrones, mox, ubicumque res poſcat, veterani militiam exercebunt: in illis cuduntur tela pirtatis eruditæ, horum lacertis ingeniorum, nerviſque virtutis in hoſtes impios torquebuntur. Hoc milite hiſce de Caſtris egreſſa in dies bellatrix fides, duce Gregorio, quà Sapientiæ Lauru, quà Murice Sanguinis, quà Regnorum Spoliis glorioſior, ſimili ſemper generoſitate triũphabit. Et ſperes aliquando, qui ſapientiùs Orbem Eccleſiæ regat invenire? quique Divini Æmulator conſilii meliori ordine partes collocet, quando quà pace, quà bello, quà æquitate, quà auctoritate Mundum vitiis plumbeũ aureum poſteritati reliquit.

Digitized by Google

Veruntamen ſplendidè] non minus, quàm fervidè procurata Religio quò dicentem impulit? Mentis veſtigia premimus, an benevolentiæ monumenta perluſtramus? Amor cordis, & linguæ magnes aureus Oratorem, quamvis ferreum, ſuaviter violentus attraxit; nodis tamen non arcanis, quos licet occultus plerumque beneficiorum largior latere vellet, effuſa tamen in omnes beneficentia in apertum eduxit: Bene eſt igitur, de Principis loquimur munificentia. Divinus tamen amor odit parſimoniæ manum, nec aliam novit in ſubveniendo menſuram, quàm ubertatem planè beatã, uſque adeo tribuens abundè neceſſitati ſupellectilem, ut pulchritudinem amęniſſimam aſſiduè commodo maritarit.

Fru-

Frugibus in dies fructibuſque ſuppeditat alimenta, priùs tamen florum delectat elcgantia, lucidiſſimam aëri unà cum Sole infundit animam; at virgines etiam flammas noctu decore diſtinctas ducit in choreas. Undas Oceani plurimo fœcundat ad eſum grege, & gemmis ornat, ditat Margaritis, unionibus, coralliiſque venuſtiſſimè colorat. Gregorius verò ita ſpbrgit beneficia, ut hoc nomine donanda non cenſeat, niſi quæ neceſſitatis anguſtias longiùs excedant,& auxilia cumulent ornamentis. Teſtis hujus clariſſimæ veritatis prodeat paupertas tam opis indiga, quàm dexteræ Divinam imitantis exculta muneribus. Ad inopiæ vocrm prodit Pontifex, vel alata pauperum vorta prævertens, vel donandi celerita-
te,

Digitized by Google

te, geminata occurrens largitate. Prodit in Aulam eorum neceſſitatibus conſulturus, qui ſæpè in Aulam penetrare non audent, quia miſeri, cum tamen unis illis patere potiſſime debeat, quibus ſpes una reſtat Deo ſimillimus Princeps. Prodit Deo ſimilior, quàm Homini, non ſterilem riſum faciemque prolaturus, (indignum id planè cenſens Deo munus) ſed Syngraphis argenteis onuſtus, aureiſque, quibus ut promptiores eſſent ad manum, ſinus veſtium omnes opplebat iturus in publicum. Hæc illi cura major, minor ſtipator, Miles, Aulicus, Faſces, Pompa, Lictores, ſuperbam ſatis pompam ſe daturum opinans, ſi prodiret auro, argentoque baccatus, ſeque circumferret Simulacrum ſpirans, Pompeiano

Digitized by Google

no eò glorioſius, quò ſe geminatum oculis, manibuſque ſpectaoulum populis exhiberet. Hoc pacto Civitatem obeundo redibat quidem in Aulam auro ſpoliatus, ſed onuſtus plauſibus, cordibuſque mortalium: ſic aurea ubique relinquēs impreſſa veſtigia, quam ſordidam reperiebat pauperiem, relinquebat pretioſam. Quo verò viatrici liberalitati parem poneret metam, ſæpè Sacras ad ædes, ad Collegia nuper erecta deflectens poſtrema verba multis aureorum millibus elargitus obſignabat. Naturæ indagator, quid lapidis Bononienſis prꝑrogativam admiratione proſequeris, quod tamdiu lucem hauriat, quaudiù Solem aſpiciat, hauſtamque ſole recedente quandiu bibit, tandiu reſundat, & quò largius potat, eò

Digitized by Google

etiam irradiet diuturnius? Suſpice potius Gregorium, qui quantum auri contrahit ab Imperio, tantundem erogat in egentes. Quin imò Soli parem intuere, qui ab occaſu, receſſuque, argento, auraq; in Sydera ſeſe ſolidiori luce diſſeminat.

Sed qualis fuerit in Pauperes Principis liberalitas veſtriſmet oculis uſurpaturi Capitolium aſcendite, ſuſcipite Pontificem in marmore ſpirantem, geſtientemque: ſuſpicite in fronte majeſtatem, gravitatem in oculis, in labris gratiam, totoque ſedentem in vultu digniſſimam Imperio formam. Hic tamen membrorum eſt habitus. Ut verò animi lineamenta liberalioris intelligatis, ad baſim oculorum àciem inclinate, epigraphen legite, & in epigraphe ſupra vicies centine au-

aureorum millia paupertati diſtributa. Hæretis? Obſtupeſcitis? Quid vobis, quæſo vos, fingitis animo? An Pactolum aliquem, aut Gangem ſitientibus herbarum populis diſpoſitis in ripas beato flumine perenniter undas propinantem? An portentum Rhodium in ruinas delapſum, quibus, & gineuca Virginibus, & corpus ægrè trahentibus Noſocomia, & Sacris Deo familiis ædes erigat? An lapſam è Cœlis in Terram hoſpitalitatem, quæ ſinu in ampliorem deducto fidei cauſa exulātes Patria Cyprios, Hibernos, Anglos complexu ſoveat, donet hoſpitio, iiſque convivia paret adeo frequentia, ut centena pauperum millia intra circulum piacularis anni menſæ adhibeat, præſitq; miniſtrando? An obverſatur ani-

Digitized by Google

animo Charitas, quæ recenter procreatos Eccleſiæ uberibus centum admoveat? Quæ Romæ laboranti ſuppeditet pharmaca, quæ inter anguſtias annonæ, quaſi pretio ſublato gratis fruges jubeat affluere? Mihi quidem, ut ingenuè fatear, Deus idem venit in mentem; qui amabili largitione non tantùm ad neceſſitatem, ſed ad delicias uſque partes inſtruat univerſas. Et profectò quænam ſordes egeſtatis tanto auri gurgite non abluantur? Quænam miſeriæ penitus nõ abſorbeantur in hoc Oceano divitiarum? Quænam mendicitas repentè non dives, quænam infœlicitas temporis momento beata non emergat?

Libenter hìc ego tam grandi ſigillo Divinam Principis noſtri profuſionem in pauperes obſigna-

gnarem, ut eos adducerem Gregorianæ teſtes munificentiæ, qui ut dignitate maiores, ita non niſi ſuprema queunt manu condecorari. Sed ad extrema currentem remoratur Orationem Societas noſtra, quæ meritò ſibi cum Pauperibus locum hunc vindicat, quòd & profeſſione mendicam, & parvulam nactus, objectamque periculis Parentis affectu ſit amplexus. Quanquam non indigent Oratore, quæ patent omnium oculis, aſſiduoque non ſine admiratione teruntur aſpectu. Athenas haſce diſciplinarum omnium, ac virtutum, contemplamini, & perorani. Sì grande, sì magnificum, sì Regium deneges beueficium, quod his ædibus noſtræ familiæ, quod Urbi, quod contulit universo Terrarum Orbi, quod

un-

unquam erit immane, ingens, immortale? Interim quod non ſpectatur in pariete, exquiſitum magnificentiæ Decus in verbis excipite. Ingredienti die quadam hanc aulam non opinanti cum hoc Collegio obtulere ſeſe velut è longinquo recenter appulſa cætera picturata Collegia, eo prorſus ordine, quo e laqueari veluti pendentia conſpiciuntur, quæ avido primum luſtravit obtutu; ac ubi ſua de nomine recognovit, honeſto rubore ſuffuſus, ſtetit aliquantis per, demum: Quid egiſtis, inquit Patres? profectò id ego noluiſſem, nec vos præſtare debuiſtis. Ita ne, Gregori, gratiores tibi vivamus ſine gratijs? Te quidem noluiſſe tam exiguam grati animi ſignificationem modeſtus oris color fatetur ingenuè. Id verò nos

præſtare non debuiſſe amplitudo beneficii non patitur. Sit largientis cæca manu profundere: receptoris eſt manu, ore opere accepta profitendo æternitati conſignare; tuto nomine integroque eſſe non poteſt, ſola contentus conſcientia, qui beneficio gaudet non uni commiſſo conſcientiæ. Quod omnibus palam eſt, alterum excepiſſe, dediſſe alterum, nemo unus ignoret. Decuit fortaſſe quò ſeruaretur integra modeſtia largitoris, fatum ejuſdem extremum expectare, quò ſe noſter animus gratum exhiberet? Qui de tuo vivimus, de noſtra etiam ætate diuturniorem te vitam ducere peroptamus. Vivas, & ſi fieri poteſt, vivas immortalis. Interim patiere, tibi non eſſe in coloribus graviora beneficia, quæ nobis

qua-

Digitized by Google

quadrati lapidis pondere operoſo effeciſti gratiora : patiere lineolis adumbrari, vel cruſta levi quæ jactis altè molibus erexiſti : cæmento demum effingi, quæ gemma digna ſunt haud unquam peritura. Reſtabit hoc unum *lineolis* addendum extremæ punctum beneficentiæ, quod munera luce meridiana clariora, nec in umbra ad te redire volueris.

Inaudita hæc in egenos benevolentia rudimentum tandem eſt illius, qua Theſauros ſuos in Regna, Regeſque latè profudit. Capaciores enim ſinus impletura pronior, pleniorque ſe velut amnis exonerat in Oceanum. Quamobrem Regio nulla, nulla ora reperitur Europæ, quæ fiduciarios nõ enumeret Gregorianæ munificentiæ Regnatores. Adeſt è

Digitized by Google

Germania Rodulphus Cæſar auctus in dies bellorum ſtipendiis. Rodulpho ſtipatores honorarii veniunt Branſuicenſis, Cliviæ Dominus, ac Erneſtus Bavarus: Gallia in Carolo, in Henrico coronata inclinat Lilia, nativo ne, an Gregoriano in auro ſereniora: Philippum adducunt Hiſpaniæ, qui teſtatus eſt ſe Præſulis unius in funere cineres inter, & ſpolia hoc eſt Vaticanis in urnis, annuente Gregorio fodinas pluſquam Peruanas, Orbiſque aurei venas inveniſſe: Sebaſtianum Luſitania, Lituania Razzivilium, Laſchium Melita, Rhoduſque commemorat. Roma verò, quæ pares Regibus plures enumerat, non unos exerit Purpuratos loculentiſſimis muneribus oneratos. Unum hic nefas foret ſilentio præterire, quòd in

eo

eo exornando morum ille magiſter Seneca nullam beneficentiæ lineam prætermiſſam poſſet lamentari, quin imò haberet, quod adderet præceptionibus ſuis. Quidam Purpureis, e Senatoribus dives quondam opũ, ut Purpuram cum dignitate ſubſtineret aulæ, ſervitiiſque ſplendore non impari, ex auſto iam Patrimonio unde, undè potuit æs alienum contraxerat, eòque deuenerat, ut deberet vel indecorè de pompa remittere, vel turpiter ſolum vertere. Ne verò in alterutrum impingeret ſcopulum, certius eligens naufragium ſine modo nomina nominibus addendo, intolerandam æris alieni ſummam conficiebat, ſibique perniciem. Ut inaudiit.. Pontifex iniquã viri conditionem, ut indoluit! Neſcias tamen, fato ne percul-

ſus alieno, an ſuo, quòd ſibi de Principe benemerendi occaſionem ſentiat abreptam. Lenimen tamen aliquod dolori ſuo alieno allaturus malo, decoctorem in aulam accerſit: præſentem manu prehendit, & quò liberius animi conſilium aperiat ab aulicorum aſpectu auulſum ducit in penetrale. Ibi facie benigniori exutus, vultuque ad ſeveritatem conformato, offenſam referens majeſtatem, iratamque, ac ultro dictis exaſperans indignantis. Quorſum inquit me regnante aliorum imploras auxilia? Quorſum ære grauatus fores teris alienas potius, quàm noſtras? Noveris, te notam nobis inuſſiſſe, ac Dignitati noſtræ non minus, quàm tuæ. Filius opem implorans exterorum vel odii Parentem arguit, vel auaritiæ.

Fi-

Filius Patrem fugiens aut criminis Reus eſt in Parentem , aut odii proinde animum in pœnam para, ne degens impune pronius pecces in poſterum nos vindices culpæ pro facultate vetabimus. Quid expectatis, Auditores, poſt horrendum tonitru niſi dignum fragore fulmen? At, oh Principis iras amabiles! In dicto Scrinia reſerat auro referta, & plagas Trajano gratior liberalior que impoſiturus attoniti Purpurati pectus, ſinus, veſtes, manus grauat. Oh iterum egregium amoris irati ſupplicium! oh vindictam blanditiis quibus vis gratiorem! Intelligitis, ni fallor, querelas in Gregorio à juſto quodam divinæ liberalitatis impulſu promanaſſe, quippe cui moleſtiam paris, dùm parcis: contemnis, ſi non deſpolias:

ultrices verò pœnas ignorat, quæ gratum non afferant pondus, & beneficia conferendo nō obruant ornamentis. Apage cum catenis aureis, cum acerbis captivi Regis, proditique ſolatiis: pænę irrogantur à Principe noſtro longè gratiores, ut pote quibus libertas non adimitur, ſed majeſtatis in apice conſervatur.

Verùm quid unius in munere diutius immoramur, quando in Urbe, hoc eſt totius Orbis in capite Boncompagni largitate ſplendidius Orbis ipſe coronatur? Roma ſiquidem quò proprior ſubiacet Antiſtitis pedi, eò laxiorem experta manum ſuperbiores attollit colles ſuos, alibi novarum faſtigio molium, alibi aquarum perennitate, alibi amænitate villarum, alibi propugnaculis, odeis,

Digitized by Google

odeis, templis venuſtiſſimè il-
luſtratos, adeo ut nunquam in
antiquam amplitudinem reflo-
ruiſſe ſibi viſa ſit, niſi cum ani-
madvertit ſub cuſtodia Draco-
nis ſe tanquam nouum auri
vellus affulſiſſe. Roma tamen
mortalium Domina cedit im-
mortalium Regnatrici. Adeſt
virgo maxima ſua cum lauru
triumphali Gregorianæ muni-
ficentiæ coronam impoſitura,
nam Lauretanam ad ædem Cæ-
li auguſtale, terræque delicium
impervium penè callem viato-
rum pietati gratificaturus, per
minorum Alpium juga Anni-
bale ſagacior non aceti, ſed
auri vi conſtravit, eamdemque
pariter Virginem Roſa dona-
tam aurea, conſueto videlicet:
Reginarum Tributo, ſuffragio
benevolentiæ ſuę Reginam re-
nunciavit & Populorum, &

cordis ſui. Fælices ite peregrinantium turmæ, ac dum ſecuræ pedem figitis inter abrupta montium, & profunda vallium inter extantes rupium cautes, & minas præcipitis Apennini amoris Pontificii veſtigia deoſculamini, cui parum fuit neceſſitati conſuluiſſe, ad majora quoque viatorum commoda flumina Pontibus frenavit, & Valles ita polito lapide Collibus exæquavit, ut Pietas poſſit, & pedes & eques, curruq; circumferri: Ite, inquam, & votorum metam attingentes, dum vota exolvendo tabellas appenditis, hoc unum commune pendeat votum, immortalis e cedro, e gemmis pretioſa Gregorio ſalus.

Verum proh vota votis contraria! dum gemmeam, dum immortalem omnium Parenti

pre-

precamur uitam, dum Funus execramur, Pontifex ipſe de Cælo ſibi vivendi finem exorat. Vixerat annos duodecim in Solio, totidemque virtute, ac meritis Pontifices vixerat, notum Orbem hunc noſtrum, tum ope, tum amore abundè ſatis illuſtrarat, cũ tertiò decimo ad finem vergente novus Orbis, ac ignotus ejuſdem coronandus beneficientia in Japoniæ Legatis accurrit, Regios Juvenes, Regum Oratores periculorum reliquias trium viatores annorum Mundi alterius adoratores nova fidèi noſtræ germina tanta geſtientis animi ſignificatione, tanto ſplendore Antiſtes optimus excepit, quantum non auſim verbo adumbrare. Romæ ſanè ſuis e Collibus ad ſpectaculum effuſæ, quò ſibi nobilem fidei gratularetur

retur appendicem, Gregorius illa die mortali longè major eſt viſus. Adoleſcentes exteri peregrinum os non demiſſum ad pedes, ſed in Cœlum putarunt erectum, dum ſacris oſculum impreſſere veſtigiis: bene emenſa tot periculis Maria, bene exauſta pronunciabant tot ſpatia Terrarum, quæ talia ſervarant in Portu naufragia voluptatis: bene mutatum patrio cum ſolo Cœlum, quando uno in Gregorio, ejuſque luminibus benigniori Syderum aſpectu fruebantur. At Pontifex quaſi avarè ſeſe impendiſſet in auro, & in gemmis copiosè profuſis parum dediſſet, in lacrymis, in amplexu, in oſculo fronti repoſito, quò pignora benevolentiæ, ac libertatis pretioſiori gemma ſignaret, animam legatorum in ſinu optavit

Digitized by Google

vit effundere, cum Sene, eodemque Vate Sanctiſſimo Simeone cignea voce decantans: Nunc dimittis Servum tuum, Domine. Proh funeſtum Eccleſiæ votum, proh Terris diras! arcete ſuperi preces: prohibe malum Deus, tuque, Gregori parens optime, parce vitę tuæ, parce Gregi, Imperio parce. Te viderint Japones, & videre te deſinant Europęi? Nunc potius Servum ſuum tueatur incolumen Deus: vivat, & videat curarum fructum immenſarum, videat, quò cum Religione amorem ſuum, ſuumq; conſilium Divini æmulator & cordis, & mentis prolataverit, Orbem ſcilicet geminum, verè Mundum liberalitatis ſuę lętus inſpiciat. Hoc precamur, Gregori, quotquot à te vivimus, hoc Populi, Regna, Reges, quibus

Digitized by Google

bus unà cum tranquillitate vitam , ac libertatem donaſti . Hoc Æquitas, Pax, Religio precantur : Gregorius vivat , ne quæ cura , manu , conſilio ſpirans animavit ad vitam , in mortem trahat expirans .

Ventis verba damus . Princeps noſter voti fit Reus , cum naturæ debitum ſoluturus extremum , ſolemni jejunio parciſſimè tranſacto ſub acerbiſſimam patientis Dei memoriam febri corripitur leni , quæ tamen effæti Senis vitalem humorem flammâ depaſcens facile diſſoluit in cineres . Ad brevioris vitæ clepſydram diffluebat,cum æmulaturus moriens, quem vivens expreſſerat , cum eodem affixus Cruci oculis , ac mente, eadem hora, eademque voce Patrem inclamans : e vita deceſſit, confuſoque veluti ſpi-

ritu

ritu demigravit. Quanto mortalium ſenſu hinc collige. Deus ipſe quaſi condoleret Orbi Sacram ſibi morienti noctem ad uberiorem Gregoriani funeris complorationem ultro conceſſit, ac ſi non niſi totius naturæ dolore, luctuque Divino deflendus videretur, nam qui pro Deo regnando ſe geſſerat, pro Deo decuit in funere deplorari. Nunquam fortaſſe grandiori luctu parentatum eſt Deo, quam cum parentatum eſt Deo ſimul, ac homini, ejuſque in Terris Vicario Boncompagno. Ut ſemel dicam, fleviſſe viſi ſunt omnes in Gregorio Deum, in Deo Gregorium.

Quid tamen lacrymarum, ubi vix extinctum hominem lacrymæ decent? Quid lacrymis extrema perſolvimus offi-

cia?

Digitized by Google

cia? Occaſus ille lugendus non eſt, quo quis evehitur ad gloriam. Attolle caput Roma, quà vox poſtrema viri virtute conſpicui vocat ab Ara Cælo proxima. Intuere in beatiſſimam fælicitatis aulam intrantem fauſtiſſimè partem Boncompagni meliorem. Gregorius non eſt parvus cinis tumulo dandus. Mentem proſeſequere abeuntem in Cælum, ibique immortalem venerare, quem hìc defles emortuum. Venerare mentis capacitatem propemodum infinitam, ut nullis olim humanarum rerum finibus intercluſam, ita nunc per immenſa Cœli ſpatia evagantem. Adora conſilium immortale, arbitrum olim pacis, ac belli, Æquitatis Patronum, ac Virtutis, Religionis Propagatorem ac Pietatis, ęter-
næ

næ nunc Sapientiæ particeps, unaque fruens filiorum libertate. Adora denique dexteram illam nullis parſimoniæ vinculis adſtrictam, ornamentum Paupertatis, Regnantium ærarium: uno verbo adora Regnantem inter ſuperos, quem in Terris RegnatorisDei Æmulum adoraſti Gregorium.

IN

Digitized by Google

Digitized by Google

IN FUNERE

EMINENTISSIMI PRINCIPIS

FELICIS

CARD. CENTINI

Oratio ſcripta, non tamen dicta Maceratæ anno 1641.

SI per acerbos animi ſenſus, quos alte cordis in tabula dolor inſculpſit, equè pingendi peritus Orationis in tela coloribus adumbraret, non ego jure lamentarer hodierna luce ſortem meã NN. qua inter Oratores, ut ætate, ità minor ingenio, ſtudioque, ad emortualem Centini Principis laudationem evocor: Quin imò mihi fortaſsè gratularer, quod arte una cum natu-

natura reluctante, brevi unius magiſterio doloris non ignobilis Orator factus in tàm illuſtrium virorum panegyrim poſſem inſperato aptè dicendo prodire, ut enim amantiſſimi Principis jacturam pari ſaltem acerbitate intimè ſentire me profiteor, ità impar nulli mihi flebilis effluerct eloquentia. Verum quià quo furit acrius in pectore, eo tardior dolor idem prorumpit in vocem, & pro labris utens palpebris oculorum libentiùs lacrymas, quàm verba profundit, & linguam cohibens męſtum verius ſilentium indicit. (Meritò conqueror, quod & nativæ relictus infantiæ, & elinguis quoque mędrore, temporiſque deſtitutus adjumento cogor) Oratorem agens in voces erumpere, quibus præclariſſimæ hujus Urbis
dam-

damna, & merita extincti Principis immortalia proponam, non aliam peroraturus ad clepſydràm, quàm lacrymarum Felicis Centini Funus mea quidem ſententia illud eſt, quod nec moderatè dolore patiatur, nec quamvis grandi lugeatur eloquio queat ſatis deplorari. Omen quippe delatum in nomine geſtorum ęquans amplitudine, virtute, ac Sapientia ſibi, & aliis vivens peperit felicitatem: Quid autem largiori lacrymarum imbre deflerì mereatur, quam amiſſa felicitas? Quamobrem cum nutui veſtro Cives ornatiſſimi, quem prò Imperio veneror, refragari non liceat, & mærori meo, qui leges neſcit in dicendo ſit indulgendum quod ſupereſt, ità Orationem temperabo, ut videar morem utrique geſſiſſe,
ſci-

ſcilicet nec dixiſſe ſine dolore, nec ſine dictione doluiſſe, quia quod paucis expediam, Felix ut ſibi, & aliis vivens faber extitit fęlicitatis humanæ; ita eamdem utrique ſuſtulit moriendo.

Nulli quidèm prętogativam conceſſit antiquitas, ut quæ ſuæ ſaltem faber eſſet fælicitatis, ſed quia, ut opinor, in eo verſabatur errore, quo vel cum Diogene in ingenii doliolo naturam contemplantis beatitatem vellet arctatam, vel cum Epicuro in omnium copia voluptatem ſiſteret, quibus ipſe impotentius indulſit, vel cum Tertulliano in Majeſtate Regia collocaret, liberaque dominandi facultate, hoc eſt plerumque iis in rebus, quæ ſibi nemo valet ad arbitrium uſurpare, vel uſurpatas ſibi pro libito

bito conſervare, quin poſitum ſit in aliena voluntate, vel auferre, vel impedire. Profecto potiùs umbram fœlicitatis illam nuncuparem, quam cum volucris conſequi nequeas, aut cum obtinueris vel invitò violentia rapiat aliena. Cum Boetio beatum nuncupo fælicemque, qui animi exercitatione eò devenerit, ut vultum utriuſque fortunæ conſtans, ac rectus inſpiciat, qui mentis in arcula claudens bona ſuæ fortunæ manibus teliſque ſe præſtet impervium, qui violentiam irrideat, nec niſi cum vita theſauros ſuos poſſit amittere, dicam verbo planius, qui ſapientia præditus ac virtute, non paveat fortunæ telum, cum longè ab illius jactu animi celſitate ſe ſubduxerit. Ut enim vitia virtus à Corde, ſic à men-

Digitized by Google

te errores Sapientia repellit, quibus irretiti mortales fruſtra nituntur evolare, ut culmen attingant beatitatis. Hinc audacter aſſero contra veterum effatum, à natura conceſſum eſſe cuilibet, ſibi aliiſque poſſe fęlicitatem architectari, virtute nempe ac Sapientia, quibus velut alis innixus eò provehi poſſit, ubi cum Olympi vertice poſitus extra ventorum rabiem, minantem rideat furentemque fortunam. Hùc Centinum appuliſſe, & ingenio, & virtute Spiritus nemo unus ibit inficias, qui noverit, vel à puero ad virtutum ſtudia ac ſapientiæ ſedulò incubuiſſe. nam vel ab incunabilis adeo in amorem diſciplinarum exarſit, ut (quod ſæculis omnibus admirationem creet) arena exceſſerit rude Donatus, quando

vix

vix alii ingredi conſuevere. Fertur enim à viris antiquioribus, Sacriſque Franciſcanæ Familiæ anno ętatis unde vigeſimo poſtquam philoſophando remotiora naturæ arcana rimatus eſſet, poſtquā penetraſſet profundiora Divinitatis myſteria, erudito pulvere ſordidum, fervidioris ingenii Rotis meta ſtudiorum evitata palmam in laurea retuliſſe. Quod ſi verum eſt uti profectò denegandum non videtur ob tantorum auctoritatem virorum, conſequitur inde ſeveriores diſciplinas ſuxiſſe cum lacte, vel ſcientias ipſas, ut Apes olim Platonis in labris mellificarunt, in mente Felicis, adhuc pueri nidum poſuiſſe, vel cum Carolo Borromeo adhuc infante pomorum collocatione Mundum gubernante inter Nuces philoſophatum

tum eſſe pro crepundiis luſiſſe cum libris, ſublimiora tandem ut prima Doctrinarum elementa didiciſſe. Neque enim quis tàm ſubito finem inveniat in laborioſo curriculo litterarum ea ætatula, niſi pro levioribus infantiæ curis ad ſeveriores diſciplinarum curas operoſiùs incubuerit. Prodigium illud ingeniorum Aquinas, & emulator Bonaventura, quorum alter in intelligendo profundus, in diſtinguendo clariſſimus enituit alter, acumine paritèr, ac ſuavitate præditus eluxit, licet diſceſſerint e Scolarum ſtadio immatura ætate laurea donati, & præcoces laborum fructus legerint, Felicem tamen poſſunt ſuſpicere, quod ætate minor, parem cum lauru gloriam reportarit. Et nceges Cintino fælicitatem, quę à fau-

à fauſta bonarum artium conſecutione proueniat ! Quam præterea fatebitur impertitam aliis quicumq; Academias Urbes , Licea perluſtret , quas ex auditore factus Magiſter , ac Doctor renunciatus Doctrina , ac mentis ſplendore illuſtravit ; Inter præcipuas enim Italiæ Urbes veterem illam contentionem excitavit , qua olim pleræque Urbes Greciæ de Homeri Patria decertarunt . Pudebat Bononiam litterarum altricem audire ſine hujus lacte Nutricis . Pudebat Neapolim eruditas recenſere Sirenas glorioſius , niſi cæteris ſuavior accinens Centinus accederet; Pudebat Mediolanum ſe uberem , ut ſegetum , ità ingeniorum glebam jactare Centino cultore deſtitutum . Roma tandem, quæ recepta plerumque perfe-

cit, vel recipit perfecta non abſolutas Sapientiæ Accademias crediidiſſet ſuas, niſi lingua, ingenioque Centini alumnos ſuos ad perfectiſſimam perpoliſſet Sapientiam. Felix verò ea omnibus arcana Doctrinarum aperuit, quæ vix ſibi votis Urbes æedem permittere potuerunt, Homero eo major quo iſte unius tantum Patriæ decus præſtare ſe potuit, hic potuit ſe Doctorem pluribus præbuiſſe Academiis ille par uni, hic par omnibus, ac ſi mente complexus eſſet Stoam, Porticum, Peripatum Academiam, uſque adeo quam ſibi à Sapientia comparaverat fælicitatem aliis abundè valuit impertiri. Et Roma quidem in enodandis altiorum diſciplinarum quæſtionibus admirata vim ingenii ab exedris auelli num-

numquam toleraſſet , niſi ad majora natum ad majora quoque munia transferre feſtinaſſet. Fæcunditas enim illa mentis coniuncta cum maturitate conſilii jam illuſtrandæ par Eccleſiæ noſcebatur. Primo igitur ſupremæ inquiſitionis Provinciȩ admovetur, ac ſi Sacro de tripode deberet veritatis oracula diſpenſare, in ea tamen cura diutius non immoratur ut virtute poſcente Solis inſtar celerius ad altiora proveheretur. Quærebat Paulus V. Pontifex hujus appellationis octavus unum Sacras inter Familias, quem donaret purpura, non tam ut murice Perſonam illuſtraret, quàm ut virtute, ac Sapientia Supremum Purpuratorum Senatum exornaret; Quò ſecurius voti Reus

 eva-

evaderet Bellarminum adhibuit conſultorem, virum apud omnes animi candore conſpicuum, Doctrina ſingularem, mentis verò ſinceritate nulli ſecundum, digniſſimum propterea ex effato Gregorii ſupremi capitis oculum. Qui ſagacitèr omnia perſcrutatus Paulo auctor fuit, ut vel Centinum e clauſtris educeret cooptaturus inter Patres Purpuratos, aut nullum. Præclarum ſane Centino virtutis, ac Sapientiæ ſuffragium, quo uno etiam ſi Senatoris munere caruiſſet ampliſſimo, ſatis pateret fælicitatem illum eſſe conſequutum, quam aliis quoque poſſet elargiri: Provehitur ergo à Pontifice ad Purpuram, ut inter Aſtra fax illuſtrior Sacro Orbi præluceret, Purpura ſiquidem, ut præmium eſt exquiſitæ vir-

tutis,

Digitized by Google

tutis, ac ſapientiæ, ità eſt fælicitatis in alios effundendę principium. Quoniam tamen Dignitatem obtinuiſſe non raró ſortunæ beneficium eſt, non virtutis præmium, à virtute quæ ſecurior eſt ad fælicitatem via eam ſibi quodammodo vindicaſſe videamus. Quanta porro virtus in Centino regnaverit ab ipſa primum Sapientia colligamus. Cum enim ex Oraculo veritatis in malevolam animam intrare ſapientia recuſet, conſequens eſt invicem, ſibi & hoſpitii, & magnitudinis eſſe menſuram, qua utriuſque granditas dignoſcatur, eoque liberalius hoſpitari virtutem quo cultius à doctrina nanciſcitur tectum. Cum igitur tam ſplendidè Fœlicis in ſinu habitaverit Sapientia, ut expoſuimus, quid ni equalis hoſpitium

amplitudinis virtus invenerit, quo in egregiam excreſceret majeſtatem? Quæ enim in eruditionem pluſquam virilem adolevit in pueritia, in adoleſcentia ac juventute inaudito fædere conſenuit; Quid ni parem admiſerit morum probitatem, quæ vel in pueritia ad maturitatem pervenerit? Quid ni exuerit terrenarum appetentiam rerum elationem animi, gloriolæ cupiditatem? Quid ni à mentis perturbationibus expedita in primo ætatis verè virtus autumnaverit? Sapientia ſiquidem luce ſua eruditorum in corda prima ſpargit ſemina probitatis, tum ſedula excolit cura, donec beatam prorſus in meſſem protuberet fœlicitatis. Qua porro ſedulitate in Felice coluerit, quis non intelligat? A primis uſque luſtris in-

Digitized by Google

intra clauſtra Franciſco ſacra ſuaviter compulit, hoc eſt ſelectionis tranſtulit virtutis in ſolum, ubi ſub cinere nequaquam doloſo animi demiſſionem exſugeret, caritatis foveret igniculos, colorem ebiberet perfectionis plenumq; ſinceræ pietatis odorem attraheret, ibi brevi eam germinavit in meſſem, ut in Conventu Ordinis uniuerſi, in quo præſtantiſſima totius Familiæ lumina coruſcabant, licèt immaturus ætate, inter innumeros doctrinæ, virtutiſque cultores adeo effulgere ſit viſus, ut Ordinis Procurator enunciatus, ſecundas tenuerit partes occupaturus,& primas moderator Supremus, niſi Annorum ſuffragia defuiſſent. Virtus tamen non tàm ſecundis probatur. Quam aduerſis, inter hæc ut Sol inter

umbras ſplendidius affulget, hinc propius ex effato Boetii ad fælicitatem accedit, qui ad aſpectum iraſcentis fortunæ non connivens, eamdem intuetur infractus. Quippe Catone gratius præbet Cælo ſpectaculum, quo fortius fortunę caſibus obluctatur. Sævit ergo in Principem noſtrum adverſa fortuna (ut nemo veſtrum ignorat) ſed ſævitum arbitreris quo invicta mentis conſtantia præclarius eluceret. Nùm enim funeſtiſſimis ſuorum caſibus impalluit? num animo concidit? num gemebundas erupit in querelas? Stetit ille inter adverſa, ac ſi fortuna telum intorſiſſet hebetatum aut aliò collimaſſet, oculo penitus irretorto, ne dum mentem inflexerit. Diceres inter fluctus ac flumina ſtetiſſe Principem ve-

Digitized by Google

lut Acroceraunia, cautemque marpeſiam; Non ille ad libertatem doloris aulicorum receſſit ab aſpectu, non ſolamen quæſivit a ſolitudine, non indixit foro inſtitium. non alio credideris vultu, non ore diſpari delatam cum purpura dignitatem excepiſſe. Uſque adeo ſibi ſemper ſimilis nec triſtibus ingemuit, nec arriſit ſecundis, ut intelligamus recto ſemper vultu ad plenitudinem fœlicitatis faciem inſpexiſſe utriuſq; fortunæ.

Lidius tamen virtutis lapis eſt apud Philoſophos extrema vitæ periodus, propterea vt ille cecinit Suprema. Expectanda dies homini eſt, didiciq; beatus

Ante obitum nullus, ſuprema que funera debet, ſi qua nempe animus imbecillitate laboret, ſi qua vitii lateat labecu-

la

ja cum ipſa morte luctando plene depræhenditur. At verò ſi ea in lucta animus nec deiicitur, nec impellitur, verè virtute ducente fælicitatis heret in amplexu. Paucis ante obitum diebus, ea qua rem domeſticam ſervabat diligentia, dati ac accepti paginas reuoluit, & cum non obolum æris alieni, non otioſam auri copiam advertiſſet in ſcriniis, miniſtro quo ea in re fideliori utebatur. Bene eſt, inquit, compoſitas ad vota rationes intueor, tum modeſtè, ſubridens, mors tantùm vna me deficit, quam non longe abeſſe crediderim, quæ ſi hoc etiam temporis puncto adeſſe velit, libenti excipientem animo inveniet, facile mortalitate ſpoliabor ut induar immortalitate. Verba poſtrema ſiue preſagientis, ſiue cupientis ore pro-

prodierint fælicem planè Centinum ſonant. Trepidamus plerique ad mortis nuncium nedum præſentiam, hæremus, impalleſcimus. Fælix verò hilari vultu, & præſtolatur, & invocat. Terruit Duces militum, invictos terruit Imperatores, Princeps noſter prope jam ſentiens, nedum præſentiens, ridens venienti fit obuius ſi hoc non ſit, quid ſit eſſe fælicem?

Et ad fuit illa quidem ferè dicto citius, viſe enim altero die, tertioque elabente, quotidianas inter preces inundante per fauces reumate repente Præſulem allidit ſolo, Ille Sacro de penſo, quam de vita ſollicitior non niſi eo perſoluto medentiũ manus admiſit, inde ſacris animæ ſalute procurata quietus occubuit. Naufragium ea in unda

licèt

licèt naufragus non expauit, quod in Portum ſperaret immortalitatis appellere divinas inter laudes debuit occumbere, cui cum oloribus mortis in articulo in aſpectum ſeſe daret ipſa fælicitas.

Fletus obeundo non dedit, vobis ſcilicet reliquit habendos honeſtiſſimi Maceratenſes; Prę-ſulem enim amiſiſtis, & cum Præſule ſpes verè beatas à Paſtoris virtute ac Sapientia verè quæſitas. Vrbi veſtræ vel Vrbes totius Europæ fælicitatem invideant, illæ præſertim, quæ tanti Principis, & morum candorem, & Doctrinam prælibarant. Dolebant ereptam ſibi, quam abſolutam numeris omnibus à paterna ejus moderatione ſperabant beatitatem. Non enim ut aliis indulgeret parcebat ſibi, & licet annis in-

gra-

grauefcentibus ſentiret ætatem ut alios iuvaret, ſeneſcentem ſe non putabat; Non aurum ſitiebat, ſed ſalutem animarum, non longioris vitæ ſtudebat procurationi, ſed ſubditorum ſaluti. Meminiſtis opinor cum neglectam advertens à Sacerdotibus puellarum inſtitutionem, ſtatis horis in æde majori conuentum indixerit, quo primis fidei rudimentis ætas illa imbueretur accuratius. Paſtori gregem ſuum vel lacteum ad amanti, non ſatis fuit aliis informandum conſignare, grandęvus ipſe infulis clarus, & Senator purpureus interrogando docendoque laboris venit in partem. Et quo frequentiores accurrerent, & alacriores infantulæ, pro præmiolis nummos erogabat, vt eo cordium magnete efficacius alliceret, &

dùm

dùm lingua erudiret ad fælicitatem, erudiret, & manu, ut enìm unâ inſcitiam, ità inopiam altera propulſabat, quo puellæ pleniore fruerêtur fælicitate.

Qui Corinthum olìm petiere inſpecturi Dioniſium ex Tiranno inter pueros ludi Magiſtrum, vſurpaſſet ſpectaculum Maceratæ jucundius in Fælice Principe ac Sacri Ordinis Senatore; dum inter Puellarum globos verſantem cernere potuiſſent, prima fidei rudimenta infantibus inſinuantem, Dioniſium rerum anguſtiæ incluſerunt in ludo, Centinum ſitis ampla ſalutis alienæ; Magiſterium illum pretio vendidit, emit Felix auro largius erogato, illum præceptor ex Tiranno (hic ex purpurato præceptor pene dixerim) ſibique Tiran-

rannus; ille aurum ſitiuit poſt cruorem, hic poſt ſudorem per auri diſpendium innocentium animarum ſalute ſitim ſedare procurauit.

Dolendum itaque vobis eſt ornatiſſimi Ciues, quos omni ope ſtuduit ad fælicitatem promouere, Doctrina ſcilicet ac virtute vobis timorem importat iactura Principis, cuius mẽtem mortis præſentia timore non afflauit, non ſolum cordatas exigit lacrimas, ſed quod amantiſſimos decet filios meritis paria iuxta perſoluturos repoſcit à ſingulis, ut vivat in corde indultæ memoria fælicitatis. Documentis ille præiuit ſapientiſſimis, præiuit probatiſſimi moris exemplo, vos pręeuntem ſequi decet, & ſi minus libet expreſſam coloribus imaginem, e parietibus ſuſpendere,

Digitized by Google

re, ſaltèm quod Tiberius à Romanis exigebat impreſſam animo ſeruate, ut quiſque ſe Paſtoris ſui ſpirans circumferat ſimulacrum, quale nimirum dùm viveret virtute, ac ſapientia ſibi efformare nitebatur. Sic uniuerſo conſtabit Orbi Chriſtiano. Fælicem Cardinalem Centinum verè fabrum ſuiſſe, & alienæ fælicitatis, & ſuæ.

Digitized by Google

IN FVNERE
LEONIS BONFILIOLI
CARMELIT. GENERALIS

Oratio habita Romæ in Templo S. Mariæ Tranſpontem Anno 1647.

HÆret animus Religioſiſſimi Patres evocer ne hodierna die Orator ad roſtra, an ad Tumulum præfica benevolentiæ pretio conducta vocales ad lacrymas oculorum, ad voces luctui veſtro incrementa facturus. Inſpectata ſupremi moderatoris veſtri jactura in obitù Leonis Bonfilioli, mæſta hæc recordatis funeris, imago præſens, ac vivax abſentis occaſus, lugubre ſonantes, & næniam voces, confuſus

oris

oris color, deflexus in mærorem vultus immanis exhibent geminata doloris argumenta ad complorationem prouocantia, faces feraliter luculentæ, ac luctu ſuo ſplendidè perorantes, quæ concepta medullitus flamma calentes liqueſcunt in fletus, mirum quantum factum ex Oratore ſpectatorem acerbis agitant ſenſibus; Quin Flores, quoque gentilitii, qui Leone ſuperſtite vernarunt in riſus, eo extincto plorabundi non ſecus ac Sole ſuo viduata lilia, languido vt nunquam collo exequias ſibi depoſcunt non auaro ſtillicidio roris, ſed largo imbre lacrymarum. Verum Leo ipſe cui parentamus iniuſte ſibi mæſtis honoribus juſtà perſolvi dolet, vobis haberi mandat hæc acerba ſolatia, de ſe quodammodo luctus prohibet, & ma-

Digitized by Google

magnarum recordatione virtutum in laudes provocat effuſiores. Cui nempe pro Stemmate Cælum vernat, jamque Liliis inalbeſcunt aſtra, ut moderatè traducti dies perſuadent, quid ni cum Poeta cautum velit ne lacrymis vllus decoret, vel flectu funera faxit?

Nempè à lamẽtatione nil abeſt longius, quã ſplendidè traducta vitæ die, occaſus illuſtrior; Illa verò vacua ſagittis pharetra poſtulat Peana decentari, quod ut aureis olìm à caritate ſpiculis docet decertaſſe Bonfiliolum ità nùnc ſonantius monet ingeminandam eſſe victoriam, victorique familiari de lilieto decerptis floribus urnam eſſe conſpergendam. In hac ambage rerum ęquè cùm mæſtiſſimis filiis debeam, ac parenti, ut ſpero, lætiſſimo, & ad lacrimas ma-

gis

gis, quàm ad laudes me factum advertam, quô melius conſultum eam, & imperitiæ meæ, & partium votis, quam ſi ori parcam, parcam oculis, & ad manus elogentìa tranſmiſſa nec lacrymas denegem, nec Laudes, ſed lite compoſita floribus inſpergam cineres, & cum Anchiſe apud Eliſios immaturè extincto parentanti Marcello vos alloquar manibus date lilia plenis, ac lilia quidem non tam de ſtemmate Bonfilioli, quam de Pectoris ejuſdem areolis decerpta, quæ beata meſſe, & manus avidiſſimè colligentis, & ſinus excipientis amantiſſimè queunt exſplere.

Eadem probatiſſimi motis, ac floris odoratiſſimi natura eſt, uterque ſolùm nactus ſibi contrarium ſterileſcit in fenum, uterque benignum ſortitus ac

pin-

pingue, late, fælicite rque progerminat: Lacteum porro, atque vberrimum Leonis in pectore virtutum Lilia ſolùm occupaſſe in aperto eſt, cum Semina vix recepta quaſi provenirent ex ingenio, jucunditate conſpicua, varietate peramena, auræ ſuavitate gratiora adeo luxuriaſſe cernuntur, ut quæ legenda primùm, quæ poſtremò loco ſervanda ſine iniuria non videas, ſapientia tamèn quæ lilium eſt; non Iunonis lacte, ſed luce ſatum veritatis æterna, & ex Ambroſio, eodem Virginis utero cum electorum frumento conceptum, ut primas occupat inter animi ornamenta, ità in Oratione cæteris poſt haberi omnino dedignatur. Cur autèm Sapientia in puero Leone veluti innocentię in viridario altè radices non

egerit non pullularit latiùs, præſertim cum eodem cultore ſedula prorſus cura fuerit ex culta? Inaudierat Leo non vltimam Sapientiæ partem Philoſophiam (quam Conuallium verior dixeris, qua Lilium cum anguſtius floreat, & odoris plus habeat, quam floris) in arcto fælicius germinatore, rudioribus ingeniis gravius redolere, quàm gratius, purgationibus verò apprimè arridere, quamobrem non dum ætate confirmatus ob firmatus verò mente peripatum ingreſſurus auſpicatius, arctiora ſepta Familiæ Carmelitarum ingreditur. Intra quæ curriculum abſolvit ea fælicitate, quæ in æqualibus progignere potuerit invidiam, in majoribus admirationem. Nec mirùm rarus in publico, frequentior in cubiculo ver-
Digitized by Google

verſabatur, necad ſolitudinis leuamentum aliud adhibebat, quam conſuetudinem Eruditorum, diuturna, nocturnaque manu verſans monumenta Valdeſii de Spira Mantuani; Hac vitæ methodo Ravennæ primum deindè Florentiæ abſoluta Philoſophia ad altiora Sacræ Theologiæ ſtudia progreſſus eſt, neſcias omninò Aſceta ne melior, an Theologus cum Doctrinæ paritèr ſtudioſus, ac virtutis, eos in utraque progreſſus fecerit, ut in Philoſophante Leone rudimentum haberes naturæ, Lilium Sapientiæ facere condiſcentis, in Aſceta, Theologoque perfectiſſimę Lilium virtutis inſpiceres. inſpecta ſcilicèt compræhendendi facilitate grauiorũ quoque quæſtionum diceres plus in educandis floribus deſudare natu-

ram quam in informando Leone Sapientiam, diceres non illũ uſu pertinaci humanarum divinarumque rerum peritiam comparaſſe cum Afranio, ſed cum Hipponico vel oſcitanti in halitu attraxiſſe, adeo facile materias exhauſit, diceres plura ſe præceptore, quam docentibus aliis didiciſſe; Unde meritò adderes ad eum occurriſſe plauſus, honores, Laureas, ut Regium florem in Leone redimirent, quando non quærenti, ſed merenti omnia obtulere ſeſe certatim eo ambitioſiores, quò minus ambirentur, quaſi caput in Leone(ut olìm in Philopemene)à quo illuſtrarentur inquirerent. Prodi jàm lauru coronatus ad Solium humili de ſolo, prodi præceptor ex diſcipulo alios edocturus, quæ ab aliis non didiciſti; Verum potiùs

tiùs vos adeſte Iuvenes ingenio nobiles,nobiliores ad huc Bonfilioli Magiſterio, & quanta mente complecteretur unus abundè in plurimos diſtributurus exponite; ſatius tamèn fuerit Doctorem veſtrum cum aurei nominis Imperatore frigido ſub Lapide emortualia inter obſequia propriis Doctrinę floſculis exornare, qui enim non edocuit violare cum Diodoro, ſed in omnem erumpere litterarum venuſtatem,æquius obſequium, quam à Floribus ductum Sapientiæ haud exigit, quando quo uberius effunderentur, pleniſque manibus, Lilia Leonis, e corde copioſiſſimè germinarunt. Verum,ne vnis tantùm floribus urna ſpargatur, quin potius, manù pleniori plura ſimul Lilia verſentur, pietas, & Religio ſe obuias prę-

bent, quas ut multarum radices virtutum, aut ſemen eſſe fatetur Bernardus, ità Liliorum Matres fecundiores agnoſcit. Religio itaque moræ diuturnioris impatiens eripi ſibi rata quidquid temporis, ac laboris aliis animi ornamentis impenditur, quem olìm ab ineunte prope ætate, & ſinù Parentis ereptum ſuſceperat informandum, ab Academiis, & à Provinciis iterùm repetit perficiendum. Alieno itaque de ſolo auulſum Cælo reddit patrio, & ſubductum penè dixerim Solis aſpectui, Medicinæ in Oppidulo ſibi excolendum integrè vindicavit. Da veniam pietas ſi te impiam cogor appellare. Qui Solem celat Solē lædit, Orbemque Terrarum univerſum; Ignoſce iterum pietas ſi te inexplebilis arguam cordium avaritiæ

Digitized by Google

ritiæ. An non pene puerum ereptum Sæculo, Carmelo datum, æterno placiturum Verbo, quod paſcitur intèr ſepta diſciplinæ Severioris, veluti auſterioris vitæ vepribus abuallatum odoratius coegeras efflorеſcere? An non mente ſublatum in ſydera deduxeras ut cœleſtes plane mores exſugeret? An non aſperiori vivendi genere ſibi rigidus in alios mollior excreverat? An non animi demiſſione inclinatus temperato ſenſuum uſu decenter patulus, pudore pulchrè ſuffuſus Virtutis granditate jam inde ſublimiora Lilìa ęmulabatur? Quid igitur novam revocas in culturam? Proh impotentem virtutis aviditatem! contenta non vivit, niſi Leo totus Deo vivat, ac ſibi totus abeat virtutum in Lilia. Abdicato itaque

magis tractu, quo fungebatur ampliſſimo in totius moderatione Prouinciæ, Nuncio Academiis remiſſo ſolitudinẽ quærit in Patria, ubi ſubditur aliis, aliis imperare cum poſſit, ſubeſſè malens, quam præeſſe. Qualis hæc animi demiſſio? Qualis honoris contemptus? quale ſui ipſius Imperium, rerum deſpicientia, perfectiſſimę amor virtutis? Et lateat aut excolatur ulterius? Tu interim Medicina quantam Latinis arvis invidiam demis? Geſtiebat Latium iviſſe quondam Laureato ſub vomere, aratorem ſubiiſſe triumphalem, at dum Bonfiliolum tui cultorem amplecteris planè nobiliori, hoc eſt erudita fronde coronatum, quantam ſibi gloriæ meſſem de tractam dolet; Quam bene hiſce pro foribus ſuſpenſa pendeat

deat Epigraphe, quam morum Magiſter modeſtus in Cortice gloriolam avidius appetendo recuſabat, Medicus hic latet non ęger. Nulla ſcilicet Leonis in pectore vomica, null a collectio, ulcus nullum, non tumet pes ſuperbia, non livet oculus invidiâ, non laborat caput inconſtantiæ vertigine, latet hoc in ſpecu ea tantum gratia, ut exemplo ſuo veluti ſucco Liliũ alienis animi morbis medelam miſceat præſentiſſimam. At florum præſtantiſſimis diù latere non licet, decet potius Regum manus adire quam deliteſcere. Hinc vix receſſerat optatas in latebras Bonfiliolus cum ab Urbano Pontifice huius appellationis octavo (qui gentilitiæ inſtar Apis ſagacioris olfactus noverat odoratiores pietatis flores licèt abſentes agnoſcere)

F 5 pu-

publicam evocatur in Lucem, ab hominibus ne profugus illuſtrior an à tanto Pontifice perquiſitus? Diſcat quicunque ſplendidas nominis umbras ſtolida ſagacitate venatur. Bonfiliolus tùnc maximè inclaruit latere cum ſtuduit. Quicumque gloriam fugit, poſt ſe gloriam trahit; Spreta in tempore fama redit cumulatior. Quid mellitam Pontificis animam pellexerit an elegantia floris, an fragrantia, morum ſcilicet probitas, an eruditio, an conſilium incertum. Hoc unum certiſſimum, Urbano adeo placuiſſe, ut vix oblata occaſione eius in rapinam, quoddammodo convaleret. Inaudierat Carmelitarum Familiam Præſule deſtitutam novum ſibi ductorem, qui rerum experientia qua par eſt polleret tantæ Familiæ modera-

Digitized by Google

ratorem, ac rerum uſu prçſtaret atque conſilio diligenter inveſtigare; Ad onus hujuſmodi Leonem accivit Urbanus. in quo enim plures animi dotes ſecurius inveniret? Lilium ſi naturæ peritis credimus, inter flores maximè cordatus flos eſt quippe qui cor gerit in radice, cor autem ſimbolum eſſe conſilii nemo non novit. Qua igitur vi conſilii viguiſſe, credendus eſt, qui Lilia geſſit non tàm in Stemmate, quam in corde? Cum ejuſdem cor germinavit in Lilia? adeoque cum Naſica mereatur audire corculum ordinis ſui, & Catone ſanctior, uno eodemque partu effuſus videretur in lucem cum prudentia? Et ſane Bononienſis Provinciæ Procurator, & majorum totius Ordinis Comitiorum aliquando præſes, blandè

ſeuerus, graviter comis, alloquio facilis, in agendo ſtrenuus ſpeciem eximii moderatoris exhibuerat? Mirum itàque nemini ſtudeas si æſtro dulci Barberinas apes ad ſe rapuit, quo Patriæ de tumulo evocatus Romano ſtatueret in Theatro. Quantum verò id eſt Urbano deo placuiſſe, ut præclariſſimi Ordinis in interregno moderatorem renunciaverit, ut cum Lilio non tàm intèr flores, quã intèr Sacræ Familiæ viros virtutibus emineret ac munerauit Heroum ſemper fæcunda familia, & rerum tractatione peritos, & conſpicuos à Sanctimonia, & à doctrinarum amplitudine præclaros, Leoni tamèn pares, tunc temporis de judicio Pontificis non habebat. Audacius fortaſſe quam verius pronunciatum quis arbitretur

ſed

ſed omni me liberat cenſura. veſtra omnium Sententia Patres, dum vix cæptis comitiis, ut cæteris meliorem fauſta omnium acclamatione univerſę familiæ per Orbem diffuſæ miro ſuffragiorum conſenſu Præſulem elegiſtis. Quanta iterum laus accedit Bonfiliolo, quod poſt diuturniorem in interregno moderationem (periculoſæ plenum opus aleæ, omnium ferè votis ad clauum ordinis admoviſtis? Urbano quidem placuiſſe Eccleſiæ moderationi magnum quid eſt, ut ajebam, majus tamen quo difficilius eſt univerſo cætui placuiſſe, & placuiſſe poſt regiminis experimẽtum id planê maximum. Scilicet vel in Sole, dum Orbem Terrarum ſæpius illuſtrat, idẽque, & unus ad nos redit, maculæ depræhenſæ sũt, ac umbrę.

Si

Si cum Sole Regnum rediret plerique ultra diem Imperium non proferrent, quot regnandi haberentur Idonei ſi non regnaſſent? Summa igitur Leoni laus eſt, quod regnanti dignitas non abrogatur, ſed pronis omnium votis; animiſque prorogatur. Detractor invidus exiſtam verius quam Leonis laudator, ſi quod conſequentium ſæculorum admiratione digniſſimum puto, veluti currenti Orationis pede prætercam, ſi cum impar ſim laudando, & queam ſocios habere laudationis eoſdem prætermittam tacitos, ac elingues. Vos Patres ſapientiſſimi, qui ad hæc ſuprema totius Ordinis comitia conveniſtis, vel à diviſis toto Orbe Britannis encomiaſtæ Bonfilioli mihi proluſiſtis dum Univerſi cætus præſidem Elegi-
ſtis

ſtis. Quantis enìm oportet hic unus animi dotibus affulgeat? Qui mereatur tanto cætui dignitate præire. Certè ſi in virum quem intèr tot, & Sapientia, & virtute conſpicuos vota colliment, ut omni dubitatione ſubmota una tantùm ſervata contentione, qua quiſque ſibi primas vindicaret in Præſulis electione, an non quiſque noſtrum ſtupore abreptus ſublimem de Viro conciperet opinionem? Hanc ergo exiſtimationem de Leone concipite. Hic ille eſt quem omnium voces, vota omnium ſibi Præſulem unanimi conſenſione depoſcũt. An non ergo cum Lilio ſupra cæteram florum Familiam emineat? Vos verò Patres qnid agitis? Adeo ne ſpectata nobis Viri virtus eſt, ut apud omnes primum occupet locum? Per-

pen-

pendite quæſo ſedem illam occupandam, quam primus divino Lumine clarior, quam igneo curru, ut uulgo fert Elias legiſlator inſedit, perpendite Hilariones, Cirillos, Serapiones, Filios à parente non degeneres. Perpendite Orbem univerſum ſupplices tendentem manus, verumque ſibi depoſcentem moribus integrum, clementia facilem, æquitate incorruptum, animi celſitate ſingularem. Vētis verba damus, uno illi hærent in Leone, ab hoc uno, ejuſque Liliis ver ſibi purpureum, vernos augurantur; Oh Leonis gloriam planè immortalem! Oh familiæ fælicitatem! quę uno in Bonfiliolo votorum attigit metam, & Liliorum copia omnium complexione virtutū punctum omne tuliſſet pariter ſperatæ fælicitatis. Gratulares

hic

hic vobis effuſius impleta vota præſagit ſupplicationes, & inſuper annos precarer neſtoreos, niſi mors præfeſtina floribus nativa, Liliiſque extrema gaudii luctu occupante cogeret iterum in lacrymas ire, Vix Leo cum poteſtate tractandas habenas Ordinis cęperat, cum via ſe commiſit, quo ſe Lilium florum parentem humanius omnibus inclinaret, & Provincias obeundo viritim ſe Patrem probaret benevolentia, providentia Præſulem. Hæſit ubique in amplexu filiorum, labores ſuos, & vota ſingulorum ſolaturus, non immanibus viarum difficultatibus, non horrore periculorum, non paſſim obſtantibus retardatus inviſit Apulos, Brucios excurrit, perluſtrat Calabros; cum tranſmare velificans Siculos quoque ample-

plexurus Mazzaræ appellens repentino corripitur morbo, qui in horas invaleſcens adeo ſęviit, ut Leonem proſtrare non ſit reveritus. Clauſit ille glorioſiſſime, & peregrinationis ſuæ, & circulum vitæ, & quod à freto non timuit vitæ naufragium fecit in littore. Funus enìm vero digniſſimum Imperatore, quando ſi non ſtando, obeundo ſaltem cum Syderum Principe in undis pene dixerim ſortitur Occaſum. Occumbit Leoni non impar, & Lilio, oculo nimirum ſemper vigili in aliorum ſolamen, at dum alios erigit, erectos animat firmat animatos, occumbit. Specioſum, olim ex veterum effato dederit funus præclara rerum adminiſtratio, Leoni non impertiat glorias ſpecioſius, quam ſibi perperit tantam vi-

Digitized by Google

rorum familiam optimè adminiſtrando? Præſertim cum ſapientiùs, ut regeret intrepidè mortem obivit. Fælices iterum dicerem ſi Leonis vita ſtetiſſet diuturniùs. Nec fortuna rerum viciſſitudine ludos faciente vix delibata fælicitas evanuiſſet. Fælicem Ordinem, Fælix Carmeli decus, niſi ſpes tàm bene cæptas mors inopina interſecaſſet, ſed quando ſic fata voluere, infęlicem potius nuncuparem, juberemque oculos in lacrymas ſolvere, liquenteſque dolores trans mare currere, Littus illud vobis invidum nimis, inſana doloris procella verberaturos, juberem Siculis undis fluctus conjuratos, & pluſquā decumanos Mazzaræ ſedes abſorbere, niſi renueret Leo, & luctuoſa indignatus officia Inſulæ vellet eſſe parcendum ſine
cul-

culpa peccanti, nàm propriæ inhians gloriæ alieno quam vis malo Antiochiæ invidiam factura laudatiſſimum Lilium non alibi quam Mazzaræ in Trinacria intra ſepta Carmelitarum voluit inquiri. Decet igitur potius cum Antioco Sigeum littus olìm Achillis tumulo nobile floribus exornante Siculum illuſtrius Leonis à Cineribus floribus coronare, niſi advotum deceat magis prȩclariſſimos cineres cum Solone in meſſem Heroum toto Orbe diſſeminare, ſiquidem vel conſpecti recordatione virtutum ad æmulationem provocabunt non ſecus ac ad Arma Temiſtoclem Melziadis Trophæa ſollicitarint, ſed quoniam Lilium ſua ſeritur lacryma, hæc emortualis Pompa ingerens demortui memoriam ſpectantibus erit

pro

Digitized by Google

pro lacryma, quæ cordium Terræ mādata Spectatores ſuos pietatis, Sapientiæ, Religionis, Concilii adoratiora efflореſcere cogat in Lilia, Floreſque promittere purpureos, pluſquam Regio conſcriptos nomine Leoni, tantum Oratoris ab umbra diſcolores.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN FVNERE
ULADISLAI
Regis Svetiæ ac Poloniæ.

Romæ dicta à Canonico Craco-vienſi Anno 1646.

MAjori ne conſilio, an injuria conſue-verint Regna luctu-oſa Principum fu-nera unius Orato-ris voce deflere, uniuſque la-crymis multorum jacturam lamentari Populorum hodier-no in luctu quęrat, qui minùs dolet. Sit ut lubet inventum ſagax læthale capitis vulnus manu profuſioris eloquentiæ demulcere, ſit iniquum unius linguam tantarum indicem cõ-ſtituere lacrymarum, ſit natu-ræ magiſterium ori dolentium

ſen-

Digitized by Google

ſenſus membrorum exhalandos committere, ſit ejuſdem convicium pœnas ſuas alienis tantùm vocibus enunciare, mihi quidem tot inter argumenta mæroris, quot funus hodiernum coacervat, nec Judicem agere, nec Oratorem placet. Neque enim in occaſu Uladislai unius Regni deplorãdum datur infortunium, cum uno in funere, tria funera geminentur, ſcilicet ut illum Svetiæ Regem natura genuerat, Moſcoviæ virtus educaverat, Virtus verò cum Natura conjurans Sarmatiæ cõceſſerat Regnatorem, atque adeo in uno tres quoadmodo Reges dederat, ità Mors una, eademque pari cum mœrore Regnorum ſubſtulit univerſos. Et hos inter mœſtitiæ fluctus, tot inter viduata votis Imperia tot
inter

Digitized by Google

inter lamenta nationum aut judicandi, aut dicendi jura ſerventur? Neſcit leges dolor immanis. Lubet ergo potius ingenium æmulari Regnorum, ut mæſtas vices lugubris Officii à Regnis tandem aliquando repetere, eademq; veluti Siccinistas, ac præficas, hoc eſt Oratorum umbras in hanc panegyrim evocare. Quo enim pacto conſultum eam opportunius imbecillitati meæ, ac Principis gloriæ, quando nulla fluit uberior eloquentia, quam quę cum lacrymis fluit populorũ, nec Principi clariùs venit encomium, quamquod à Regnis venit ſola emeritæ virtutis, & amoris neceſſitate compulſis? Quanta porrò capiat laudis incrementa, cui Regna numero plura, claritate conſpicua, amplitudine immenſa perorando

juſta perſolvant? Prodeat igitur Balthici Regina Maris Svecia, ſuis illacrymans fluctibus, ſuiſque fluctuans in lacrymis, & cupreſſu ariſtis intexta triplici nobilis diademate, quæ prima ſtuduit Uladislaum coronare, ante alia amiſſum lugeat amorem quondam ſuum. Prodeat comes, an emula Moſcovia, quæ licèt Silvis aſſueta belliciſque, ſagacius tamen Principis odorata virtutes, & moribus capta decentibus ſibi prædari tẽtavit, & amabili conſpiratione irretitum in Soliũ ſuum attrahere. Prodeat Sarmatia armorum illuſtrior gloria, & Sanguinis morũque nobilitate præclarior, & quod diu regnãtem experta fæliciter eſt, luctuoſior ſibi, nobis liberalius impendat mæſta ſolatia ſolemni recordatione meritorum.

Au-

Audimur, ore triſti, triſtiori adhuc animo, vultuque plorabundo evocata prodeunt Regna, & extremè dolentium ritu, uberiori fletu, quam voce perorantia, eodem verbo, eodemq; ſenſu cum equite Spartano conclamant: extinctum Regem ſuum. Hoc uſa dicendi compendio arbitrantur ſe copioſiſſimè peroraſſe, eademque nœnia ſæpiùs repetita, ac interciſa ſingultibus pluſquam Timantis velo, doloris, ac laudis occuluiſſe: Nàm ſi licèt interpretari, ſic videntur effàri voluiſſe.

Si qua umquam commendatio accedat homini, quæ ſingularis, quæ propria, quæ ſublimis in paucis debeat reputari, ea eſt docente morum Magiſtro Ingens animus, ſive ille mentis capacitate, ſive cordis

amplitudine, ſive celſitudine Spiritus, ſive ſe prodat maturitate conſiliorum, quo ſupra Hominum vertices qualis Olympus inter montes frontem attollat, eodemque tenore vultus, ac pectoris ſerenus emergat. Hæc laus demum eſt hominis non humanorum, hæc non ſolùm noſtra, ſed nos attingit cum partem nobiliorem, qua conſtituimur, non quibus exteriùs exornamur, apprime commendet, hæc illa eſt, qua magni ſub nomine Pompeius inter Romanos, inter Macedonas Alexander vivunt immortales. At hæc eadem eſt, quę à Regnis prima tamquam adorea Regnaturis exhibetur. Neque enim pedibus ullius adorabunda provolvantur, quem ſe ſublimiorem animo ire non ſentiant, nec gemmis coronant,
quem

quem ſub Regiarum pondere curarum vereantur ingemiſcere. Quis illi ſe præbeat gubernandum, qui Regimine indiget alieno? quis illum admoveat clavo Reipublicæ qui ſibi neſciat imperare? Regem nimirum, cum ſibi populi dicunt cultiores, ut ei vices demandant divinitatis, ita divinum volunt, & Sapientia Palladem, Martem bello, Mercurium ſagacitate, amabilitate magnificentia, conſilio Jovem ęmuletur: Qui unus cum ſit, carus accidat omnibus, qui inter Hominum millia ſanctè pacem decernat, & bellum, jure felicitatem donet, ac demat, hilares faciat, ac mærentes; cui tandem tuto fortunas, honores, familias, vitamque devoveant An hujuſmodi minorem ſe velint, aut parem? An potiùs animi

mentiſque ingentioris? Magnam fortunam ajebat ille magnus animus decet, quid Regiam, quid Divinam? Quantam porrò animi tui granditatem dixerim Uladislae, quem Europæ, Aſiæque pars non ultima ſuffragio ſuo Regem adoravit? Oh tuæ mentis magnæ maior gloria! quem non ſemel, ſed iterum ac tertio gẽtes evocarunt ad Solium. Apud Perſas geminum diadema ſortiri. ſupremum habebatur decus, quaſi menſuram humanæ capacitatis excederet, qui tantam rerum amplitudinem mente poſſet æquare. Quantum ergo exceſſiſſe te credamus, cui nationes geminato tertium addere ſe poſſe putarunt. Non hic tu communi cum cæteris regnatoribus commendatione complectens Sanguis Jagellone,

ne, quem cæteris ampliorem vaſtitas eximit Imperiorum, quem certatim Regna ſollicitarunt, ac ſi te ſuperſtite regendis illis nemo par haberetnr. An non pignus eximium ſit ingentis animi diſſidentes genio, moribus, lingua nationes in Te unum conveniſſe? ac ſi cum Jove unus, idemque toto diſcordes animo conciliare. Quid quod vel ab hoſte ſæpiùs Armis attrito ad clavum Imperij fuit evocatus? Quanta vis animi, quæ vel inimicos ſibi valuit demereri? Quid quod Regnans alibi, alibi regnaturus renunciatur, ac ſi Orbi regendo ſufficeret hic unus univerſo? Quid quod in eumdem vota collimarunt nationum, tam ad ferocitatem, quàm ad humanitatem proniorum, ac ſi & humanitatis, & ſeueritatis ſciret

ret extrema complecti? Quid quod ab iis electus eſt, quibus fas erat, ac voluntas inter bonos optimum quærere? An non optimum elegiſſe ſentiamus, ac Maximnm? Certè Regnum quodlibet mediocrem potuit eligere regnatorem, tot Imperia optimum non eligere non potuerunt. Quæ omnia currenti oratione attingenda fuere potiùs, quam exornanda; ne locum occuparet argumentis clarioribus ingentioris animi, quæ ulteriùs ab iiſdem Regnis uberiûs ſuppeditantur, jam dicenti mihi eo ſpectabiliora; quò heroicam planè virtutem, animique granditatem produnt giganteam.

Inficiabitur nemo glorioſiùs eſſe quempiam ſibi Regna mereri, quam ſortiri, & eo glorioſius, quo meliori jure virtutis ge-

Digitized by Google

geſtorumque quis mereatur. Quid enim pariat gloriæ ubi Regna referat, obæſitas corporis, ut olim apud Gordios, ut apud Indos forma præſtantior, membrorum moles ingentior, ut apud Æthiopes, ut apud Libicos curſus velocior, robur, ac virium præſtantia ut apud Sitonas. Fœmineum eſt formoſitate prçcellere. Brutorum verò excedere curſu cum Cervo, cum Elephãto corporis mole, viribus cum Leone, cum ſue pinguedine, laudabilius itaque inceditur via, quæ olim ab heroibus vel ad aſtra itumeſt, ſcilicet indole generoſa, probitate morum, integritate vitæ, Religione, regnandi, bellandique peritia, quæ propriæ ſunt ingentis animi dotes ac prærogativæ: Quò nam verò alio greſ-

ſu, vel à puero properavit ad Coronam Uladislaus?

Svecia nondum aliis aſſueta ſubeſſe Principibus, quam à natura datis, dimiſſo, quem olim adoraverat Sigiſmundo, ſub hujuſdem hæredem natu maximum ardentiſſimè redire cupiebat, ac prŏindè Uladiſlaum, vel à teneris annis regale ſibi fecerat votum, eoq; creſcente mirum, quales ex arſit in flammas, Indoles iſta digna Imperio, grata membrorum compago, corporis conſtitutio decora, vultus Majeſtas gratior, feſtiva in verbis maturitas, Lepor in Majeſtate ſuavior, prudentia ſenilis in moribus, gravitas comitate temperata, vivida pectoris generoſitas, quorum nam corda magnete rapaciùs non attraheret? Regiarum verò ſeges uberrima prærogati-

tivarum, conſiliorum prompta ſupellex, ſuimet inflexio ad rationis arbitrium, æquitas in judicando, in eligendo Sagacitas, in exequendo conſtantia, vel adhuc in flore, quantam beatæ meſſis ubertatem Reipublicæ promittebant? Quamobrem cum ſibi meliorem fingere nequiret, eo proceſſit, ut Legatione inſtituta à Sigiſmũdo puerum Paterno Regno reſtituendum enixè poſtularet. Hæret hic animus, num Svecia ſecuta ſit jura naturæ, an arbitrii. Voluerit ne Regiam ſobolem hæreditario ſolio reſtituere an Regem Regno deligere meliorem. Non exornaſſet opinor adoleſcentem ea Legatione, niſi tot exculta indoles ornamentis ſummopere placuiſſet, cenſeo veriùs Sveciam obtemperaſſe naturæ Legibus, nõ

obtemperaturam tamen ſuiſſe, niſi natura ſuffragante ſuffragio ſuo virtus quoque faviſſet adoleſcenti. Cogor iterum hic animo pendere, laudabiliùs, ne ſibi Solium quæſierit Uladiſlaus, an recuſarit conquiſitum, an ampliori merito Regnum ſibi efficaciùs repulſa vindicarit. Dicam veriùs ingentis animi dotibus ad ſceptrum perrexiſſe, receſſiſſe tamen vi mentis ingentiori, faciliùs amabili violentia à Svecia Princeps ſceptrum extorſit, quam Svetia Regem impetravit à Principe novarum ea Regio erroribus opinionum taboq; infecta hæreticæ pravitatis, timens, ne diſcordia Fidei tranſiret in diſſidium animorum, ea conditione juvenem poſtulavit in Regem, ut Regimini nondum maturum, educandum reciperet,

ret, imbuendumque opinionibus Patriæ. Ad conditionis inſolentiam inhorruit Sigiſmundus, an qui Regnum Religioni poſt habuerat, eidem umquam regnantem Filium prętuliſſet? Ne tamen videretur filio minus fidere, ejuſdem arbitrio, quàm mallet ſortem, conceſſit, eligere, Numen imitatus, quod nobis omnibus ratione utentibus liberè dedit, aut ſcelus, aut virtutem ſequi. Quid hic agat Regius adoleſcens? utrinque caſus proponitur peracerbus, quia utrinque penè lucrum ingens, ac jactura proponitur. Labitur è Cœlo quiſquis labitur è ſolio. Ruit in Tartara quicunq; recta ruit à Fide. Cœlo proximus aſſurgit quiſquis ad Imperii clavum euehitur, aſtris caput inſerit, quiſquis caſtam Deo fidem ut ſervet, cal-

cat

Digitized by Google

cat cum Moyſe diadema Pharaonis. Quid hic immoror dùm ſine mora ſimilis indignanti Uladislaus inquit: Quid hic deliberem? Regnum pereat, ne pereat fides; ſi una in Sede ſtare non ſubſtinent Imperium, & Religio; ſtet inconcuſſa Religio, Imperium cadat, pretioſior mihi Fides ibit in poſterũ, quæ Regno ſteterit.

Enimverò Suecia juvenem pluſquam auro coronas, & gemma, dum queris ad coronam, ob ſingularis laudem virtutis; ſed dum ille reſpuit Diadema, idem ſibi geminat ad gloriam: ſpecioſum eſt Regnum meruiſſe, ſed pro fide ſervanda reſpuiſſe ſupra Hominis conditionem eſſe, quis deneget? Si Cœlo regnaſſet infidus indignus regnaſſet & Regno, & Cœlo; dùm verò, ne fide ſpolietur, Regium re

ſpuit

Digitized by Google

ſpuit paludamentum, utrumq; meruit illuſtrius. Clarior audiet in ſæcula pro fide Regni contemptor, quam ſi deſertor Fidei regnaret in præſens. Profecto nunquam ſe Princeps major fateri potuit, quam cum ſe Regno majorem præſtitit pro fide calcando. Nemo interpres iniquior juveni vitio vertat inauditam Regni repulſam, quaſi cum Lepido ſpecie recuſantis avidiûs affectet Imperium Amãtis eſt; non Ambientis Vladiſlai recuſatio, Sueciæ noluit imperare ne impiam haberet; ſed ex Oraculo Divinitatis Princeps optimus medelam afferre voluit præſentiſſimam inteſtino morbo quo periculosè laborabat, ignaram mali ſui Regni fugâ voluit edocere, nam adeo periculoſum eſſe demonſtravit, ut ſine ſalutis ęternæ
pe-

periculo ne in Solio quidem conſortium pateretur.

Ingrata Patria ſignanti viam ſalutis bella minaris, & cædes? an deſpectus amor, ut aſſolet novercale deſcivit in odium? An quem auro redimere non valuiſti, nec muneribus demulcere, armis, belloque niteris edomare? Si hoc animo ſedet, age, militem coge, campum occupa; aciem explica, pedem fige ſtringe ferrum, quē auro non coronaſti, Lauro coronabis triumphali, maloque tuo bellandi peritum experta redibis ad vota, & hoc etiam nomine Bellatoris egregii Regnū meruiſſe fateberis.

Livoniam Armis invadit Adolfus ille Guſtavus, qui nuper ab Uladislao rejectum Sueciæ Solium occupaverat, eamque nititur ab Imperio Polo-

niæ

niæ violenter avellere: obvius occurrit Uladislaus cū legionibus; hoſtiles acies haud ſemel congrediuntur. Ductores ipſi aliquando cōſerunt manus dubio Marte non rarò, aliquando etiam belli aleam ludente fortuna Mars favet Adolfo. Verum virtute fortunam ſuperante illatos, tandèm timores in Auctorem ſuum Sarmata reſupinat; pellitur Adolfus, cæditur, cogiturq; campo excedere non alia dives preda, & gloria, quam cæſo milite proprioque ſanguine cruentatus. Redit victor Uladiſlaus, hoſtili cruore pulchrior, quam foret Regali Sveciæ. Clamide purpuratus, redit onuſtus grandiori ſpolio, dum veritate cogente ex ore Guſtavi nomen bellatoris, egregii, ductoriſq; peritiſſimi reportavit. Laus illa it præclarior, quæ vel pro-

provenit ab Hoſte, at quã à Victoriarum Architecto Guſtavo, retulit Uladislaus, quãta, & qualis erit? Habuit Adolfus commilitones, Bannerios, Ornos, Vaſmerios, Hoſtes habuit Tillios, Pappenemios, Piccolomineos, Valdeſteinos, nulli par impertivit elogiũ, quia pares Uladislao non invenit, huic uni negare non valuit, quod qui arces eripuit aliis, huic ceſſit uni, quique Hoſtem vel fugientem vidit, vel cęſum huic uni compulſus eſt cedere ſanguine ſordidatus. Quamobrem ut olim ambivit ad Regnum Suecia, aut indole, aut naturę jure provehere, ità nunc bellandi peritia clariorem potuit vehementiùs exoptare, eumque tandẽ è vivis ereptum deplorare profuſius; nempe natum ſibi Regem extinctum in clamare, quem egregiè divi-

divitem naturę donis evocavit ad Solium, quē fidei conſtantia ſceptri vidit contemptorem , quem amavit inermem, timuit armatum , quem quæſivit in aula, fugit in Caſtris, triplici propterea donandum Diademate, quià ter maximus, Indole, Bello, Religione.

At hæc eadem in Religione conſtantia, ut Moſcoviam non retardavit, ità bellandi præſtantia compulit, ut eumdem ſibi magnum in Ducem appeteret. Defecerat Moſcos cum Imperatore hæres Imperii, quamobrem coactis univerſi Regni comitiis de Succeſſore diſquirit. Non deerat copia Candidatorũ, inter Candidatos tamen deerat Uladislaus, verum ſuffragatores conjectis in abſentem oculis, hunc unum euntes in vota ſuffragatione concordi Imperato-

to-

torem legunt, tum omnem lapidem quidem, ut ajunt, movēt, ut ſolio imponant cum ille ne lapidem quidem quo ſibi faciliorem ſternat ad ſceptrum viam muceat. Tàm nova electorum concordia non parum conducit ad electi cōmendationem, quam ut integrè cogitatione complectamur, interrogo: quid proclives adeo Moſcorum animos in Uladislaum inflexerit? quid in vota deduxerit? certè Moſcos inter, & Sarmatas paulo ante iræ mutuæ, mutuæ clades, & damna interceſſere, quorum pars magna fuit Uladislaus, qui Herculea pluſquam clava Hoſtem Smoleſco deturbavit celeberimo tunc tēporis munimento. Quorſum ergo hoſtium nocentiſſimum ſibi Moſcus depoſcat imperaturum? An ut ferocientis animum

mum luculentiori beneficio ſibi conciliet? An ut timorem ſibi demat dexteræ fulminantis? ac proindè admovet clavo, ut dimoveat à caſtris? quid quid conſilii ceperint ſuffragatores oculatiſſimi libenter amplector in argumentum virtutis excelſiſſimæ, qua ſibi Princeps Regna mercabatur. Non enìm vota gratiæ, contulere, quæ inter Hoſtes vigere non ſolet, non metui, qui ab inermi tùnc temporis pacatoque non incutiebatur, non auro, cujus ne nomen quidem in eo negotio perſonuit, non artibus, non partibus, quas nec Polonos excitaret, nec fovebat ab aliis excitatas. Vis ergo ea tota virtutis fuit, quæ dum latius ſplendet, vel ab hoſte diligitur, bellandi peritiam ſenſerant, Moſchi; intellexerant regnandi pru-

prudentiam ex proxima Sarmatiæ fælicitate. Hæ grandiores animi Dotes vota Moſcorum extorſere. Quæ cum ità ſint quære ſi potes, ſublimiorem ad Regnum viam? Finxerit olim pictor Fortunam in rete Timothei dormientis, Urbes, & Regna compellentem, ſomniavit Pictor, non dormivit Ductor vigilantiſſimus in expugnatione Caſtrorum, ac Regnorum. Extra ſomnium tamèn, & fabulam affirmare mihi licebit vel dormientis; hoc eſt Uladislai nil tale cogitantis in ſinum Virtutem Imperia congeſſiſſe, Moſcus interim Uladislaum eo magis extulit Sueco, quò magis naturam virtus excellit, Suecus nempe naturam ſecutus eſt, quæ non rarò ſuffragatur immerenti Moſcus verò vel natura renuē-

te,

te, quæ abhorret ab inimico, merita Principis coronavit. Suecia ut debitum ſolverit Moſcus ne lederet, æquitatem, hic magnaminitatem, conſilium, ſapientiam, excoluit unde luculentiùs patet, non ſiniſtro fraudum pede, aut ſubdolo in Imperium irrepſiſſe Jagellonem, ſed recto, dextroque greſſu virtutis properaſſe. Quod ſi votorum metam Moſcovia quoque non attigit, in hoc etiã Suecia illi cedere compellitur, quod Sueciam vitia ſua voto fruſtaverint, Moſcoviam ſaniora conſilia, Excellentia quippe Principis, ac Moſchi prudentia, exitu vota defraudavit, noluit Regno potiri alter; alter Regnatore ne dum ardentius uterque niteretur, voti Reus evadere, Sarmatia obſtinatè renuente Moſcus pro Rege, ac
Re-

Regno bella ſortiretur, & cladis. memor tamèn ſperatæ fęlicitatis in ejus occaſu à fletu Moſcovia, nequit ſibi temperare, dolet Uladislaum cecidiſſe, & quem fatis retardata eſt adorare viventem, ad ejus buſtum lacrymas fundere non impeditur cor olìm in votis, nunc impendit in lacrymis, viventem Regem optavit, vitam cupit extincto, utrumque amoris monumentum ſit, & doloris, quã-vis attrita bello venerata eſt Moſcovia, nunc quamvis attritum fatis honore proſequitur, ejus obſequium hoſtilis ira non valuit olìm imminuere, nec modo mortis clades virtutis memoriam valet ſepelire.

Eadem per veſtigia meritorum, quibus hæc Regna ſibi quæſierat Rex noſter Sarmatiã quoque inuaſit, nam ſanguine cre-

cretus Iagellonio non ſine ali-
aliquo hereditario iure Sceptrì
poſſeſſionem depoſcebat Indo-
les Regia, quæ eiuſdem adole-
verat in ſinù, quid ni ſibi meri-
tò vindicaret Sarmatiam, quan-
do Moſcum, & Suecum vidi-
mus eidem obſequentem? Age
defuerint hæc quoque decora,
num ad Sarmatiæ clauum belli
iura non promoverint? Id om-
ninò concedendum eſt, niſi ve-
limus firmius eſſe jus in Armis,
dūm nocent, quàm dum clades,
& vulnera patriis à ſedibus lon-
gè repellunt, dum arces evel-
lunt, evertunt munimenta,
quàm dùm generosè tuentur,
dum ſtrages inferant, quàm
dum prohibent. Quod ſi par
eſt, & rationi conſonum, plus
mereri arma beneficia, quam
hoſtilia, quam nocentia, quam
iniqua, hoc certè nomine ſer-

vata Sarmatia Uladislao debebatur.

In fines Valacos, Moldavoſque mox erupturus in Polonos repentinus advolarat Oſmanes Turcarum Imperator non minus ætate juvenili præfervidus, quam iracundia ob illatam à Sarmatis paulo ante ingentem Thracibus cladem, ſecum traxerat copias Thracum, ac Tauroſcitarum totoque collectas Oriente. Si narrantibus credimus ſepties centena militum millia ſub ſigna numerabat. Quònam armatorum jus incredibilis non erumpat? quas oras non devoret? quas arces acies, Regna non opprimat? quę non revellat munimenta? Impendenti ruinæ vetus bellandi miles, & ductor egregius occurrit Koskavitius, ſed brevi militum manu ſuccinctus, non tàm

tàm animo hoſtiles impetus frangendi , quam retardandi conſilio, dum copię colligerentur firmiores à Rege Sigiſmundo. Ad Iſtrum Caſtra locat , munitque ſub Coccimo, Marium ęmulaturus à Romanis in Cimbros, ac Teutonas expeditum locum inſedit , pugnæ negaturus opportunitatem : Et quidem ne impotentiùs excurreret , ne Polonos ferociùs impeteret , Hoſtem infrenavit , non ſecus ac ſternax equus fræno cohibetur ab equiſone. Nam licèt ſæpius Oſmanes furtivas tentaverit excurſiones , licet impreſſiones fecerit apertas , ne latum quidem pedem Koskovitium loco ſubmovit. Verùm dum velitando , excurrendoq; belli luditur alea ; Dux Polonus maximè importuno corripitur morbo ea violentia ; quæ

paucos intra dies expunxit è vivis. Ingentem Dûcis jacturam majora ſubſequuntur infortunia, fames quippe, & fame crudelior lues militem invadit, graſſatur inter acies, premuntur undique Caſtra hinc Hoſtium numero, hinc anguſtiis annonæ, hinc peſtilentia proſternuntur; ut qui ferro ſuperſit hoſtili, aut tabo inficiatur, aut fame depereat; Otietur miles? fame conſumitur? educatur in pręliũ? Victima obiicitur immanitati Turcarum, jubeatur convenire, tabo committitur conficiendus; atque ita nec arma ſuſtinere, ne dum valeat hoſtiles impetus retardare. De exercitu, de Republica, de Regno Poloniæ actum eſſe pronunciaſſès, niſi Princeps Uladislaus opportunius adfuiſſet. Qui accepto de Koſkovi-

kovitii funere nuncio, deque miſerrimo rerum ſtatu, licèt florens ætate, inconſulto quoque parente, ſponte ſua ſubiturus onus Imperatoris, vel Annibali formidandum protinus accurrit, ac ductor idem & miles belli molem ſubſtentaturus, aggreditur. Obit Caſtra, & qua vultus hilaritate, qua præſentiæ majeſtate, qua pectoris generoſitate, qua ſpe, qua conſilio diſiectam calamitatibus aciem ope fovet, acuit exemplo, verbis animat benignitate recreat penè dixerim enectam: Verùm ubi annonæ non relaxantur anguſtiæ, ubi morbus ſævit atrociùs, ubi nullæ in proximo ſuppetiæ (nam licet Sigiſmundus parens ſollicitè cogeret copias, adhuc tamen lentè feſtinabat) ubi rarus in ſtatione miles, in Armis rarior;

frequentior verſatur inter funera, quid juvet alacritas Principis? Præſertim ſi (quod fama ferebat) hoſtes prope diem efſuſis in campum caſtris nervis omnibus impetum faciat in munimentum. Quid juvet? effunditur hoſtis, incurrit in Vallum quaqua verſum, Princeps verò non vultu, non animo cadens, non cedens loco, ubique præſens, ubique pugnans, obiecto periculis capite impreſſionem ſubſtinet, ac repellit, & licèt contento cum hoſte conſerat manus, hunc enſe, illum telo, voce alium, oculo alium terret, umbone proturbat, propulſat manu, & ſtrenuè adeò rem gerit, ut unus ille queat pro exercitu numerari. Quamobrem non ſolùm Caſtra ſervavit; ſed Hoſtem quoque tam immani clade cęcidit, ut deje-
ctus

ctus de ſpe victoriæ coactus ſit latius aciem ſubmovere, & quod ad eam diem inauditum fuerat, Turcarum Imperatorem Oſmanem adegit, honeſtas pacis conditiones aut precari, aut admittere. Quid plura? arena ceſſit, & dum Uladislaus in acie ſtat pro victore; Oſmanes cedenti ſimilis retroceſſit in Thraciam. Proh Principis in tot adverſis immanem animi granditatem! Proh tot intèr Hoſtes pectus invictum! Proh facinus immortalitate digniſſimum! quo præcipitem planè rem Polonicam Fabio melior in integrum, non cunctando, ſed reſtituit properando? Divinitus conceſſum credam Principem eo ſæculo, ut ruentem in præceps Sarmatiam ſubſtineret; parum abeſt, quin exclamem, debuiſſe Rempublicam

in centrum delabi miſeriarum, ut Uladislaum experiretur ſervatorem, debuiſſe Koskovitium occumbere, ut Milites Ductorem ſortirentur meliorem, debuiſſe luem cum fame in Caſtra coniurare, ut unius animi robore cuncta vincerentur, debuiſſe Sarmatiam periclitari, ut firmius huius dextera fulciretur. Excuſſit ergo Princeps jugum timoris, ut amoris imponeret, ſcilicet hac victoria ſtat Sarmatiæ Libertas, Imperium, Gloria, adeoque Uladislao ſuperſit, aut illum decet imperare, aut nullum. Verum non hic ſtetit Principis in Polonos beneficentia, ut enim bello ſibi Regnum peperit, ità majori mentis robore diuturnius gubernavit, Imperium quidem bello ſervatur æquitate, Religione, tranquillitate re-

vire-

Digitized by Google

vireſcit, ac floret. De Religione quid loquar? Quam vel à pueritia Regno prætulit? Quid de æquitate à qua velut à fonte promanat Regni tranquillitas? Quave neglecta ſin minus cum Hoſte, ſaltem cum civibus confligendum eſſe comperimus: Unde jus exulat, exulat quoque tranquillitas. Hanc porrò quàm exactè coluerit, hinc collige. Numerabat aliquando ſub ſigna millia militum quadraginta, pubem planè militarem; Duci obſequentiſſimam, belli ſcientem, prædæ, glorięque cupidiſſimam, qua ſuccinctus Imperator, aut Thraci Bizantium, aut ſi mallet Tauroſcithæ Cimbricam auream poſſet occupare. Jamque belli ſignum præſtolabatur impatiens, cum repente à ſenatu per nuncium monetur è Republica fore magis, ſi

militem Rex exautoret. Quàm moleſtè nuncium tulerint copiæ, more militari concuſſis armis ſatis aperuerunt; Jus præterea in armis eſſe ſuadebant, clamabant alii, fortunâ utendum eſſe dum frontem præberet capillatam; Rex verò ſereno, ut nunquam, vultu Nuncium excepit, dictoque audiens non ſecus ac ſi ad pugnam urgeretur, acies diſſoluit armatorum. Non placuit Senatum ad vota compellere, cnm poſſet, non placuit rationum momentis, aut emollire, aut inflectere. Ut parta pace Sarmatia frueretur, ſe ipſum quam Hoſtem ſuperare duxit glorioſius. Quam rarum! quàm inſolens hoc eſt! Bellatorem Egregium tot ſtipatum legionibus à bello temperare, parere malle, quàm imperare, demeſſas propèmo-
dum

dum palmas pacis in obſequium manu projicere, alienæ quieti proprios ſubmittere faſces, ac triumphos. Julius Cęſar Rubicone tranſmiſſo jactam aleam pronunciavit Romanæ perniciosſam libertati ſuę faventem dominationi. Antonius intra Mutinæ mænia coarctatam cum Bruto iniquiſſimè Rempublicam, fruſtra Senatu reclamante, urgere perſeveravit, nempè ſingularis hæc laus manebat Uladislaum, triumphorum contemptorem audire malle, ac Regnorum, quàm violatorem pacis.

Quid ultrà merita Principis, quæ finem non inveniunt recenſeantur? Quando mæſta eorumdem recordatio non tam ad augmen gloriæ cujus Princeps culmen attigit, quàm ad Sarmatiæ doloris faciat incre-

mentum. Quare jam impar acerbitati ad cineres inclinata ſic paucis infinita complectens amariùs lamentatur.

Tibi Uladislae (ſivè malis nato genitrix, ſivè malis nata genitori) reſtituta per te vitæ, ac libertati Polonia, quam Mauro eripuiſti, lacrymas pro vita rependo. Utinam per me ſtare poſſes, ut meum per te ſtat Imperium! ſed quando id negatur, æternum viues in corde, fueris quondam Sueciæ, fueris Moſcoviæ vivens votum. Sarmatię poſt fata quoque votum eris immortale. His dum extinctum Regna conclamant in Uladislao Regem ſuum, juſta quoque perſolvunt, licèt minora quoque fateantur premia pietati Religioni virtuti ac bellandi peritiæ, atque regnandi. Quando igitur tot Regna, tot

ca-

Digitized by Google

capita coronata commendatione ſua, merita Uladislai non æquant, nec jiſdem potius dicendo detractum quid eam, nihil ultra addendum putans, & Regem, & Regna ſilentio venerabor.

ARS

Digitized by Google

Digitized by Google

ARS MILITARIS

Eloquentię Magiſtra

Præfatio habita Firmi Anno
1643.

LItterarum Feriis nuper elapſis NN. Tifernum conceſſeram Patrio ſub Cœlo virium imbecillitati conſulturus, jamque ejuſdem beneficio ex longa, adverſaque valetudine defecta membra recreabantur aſpectu loci gratioris, Camporum ubertate, amenitate villarum, varietate Pomorum, amicorum conſuetudine, cum repente nunciatur Parmenſium Ducem Odovardum numeroſo præferocem equitatu Emiliam Flaminiamque tranſgreſſum magnis itineri-

bus per Tuſciæ fines Romam properantem Patriæ penè muris hoſtiliter imminere. In Urbe nil tale ſuſpicante trepidatum eſt primò, ac non ſecus Romæ dum Annibal ad Portas renunciaretur ad eſſe; mox animo ex pavore collecto, metuq; diſcuſſo, viri bellicæ rei non imperiti animo fortes, & manu (quorum copia gens illa nunquam caruit) ex conſilio defenſionem adornant. Explicant belli ſigna militem cogunt, vigilias collocant, cæteraque munia diſpenſant, altè ſepulta repandunt armamentaria, in lucem revocant ferrea, æneaque tormenta, eaque ſumma celeritate certos deſtinant in ictus, denique ità cætera diſponunt ad hoſtium impetus ſubſtinendos, ut intra unius diei ſpatium formidatas acies ex Civium ala-

cri-

Digitized by Google

critate nedum non timeri, ſed ulterius, aut deſpici judices, aut provocari. Inter hæc verſantis animum una, eademq; non contemnenda cura coquebat, quale nam amoris monumentum in eo periculo Patriæ poſſem exhibere, ſi bellum diuturnius urgeret homo, nec viribus pollens, nec ingenio. In ea defixus cura hærebam, cùm mentem ſubiit Diogenis recordatio, qui cum Corinthi moraretur eo temporis, quo Philippus Macedo exercitum rapiens Urbi minabatur obſidionem, Philoſophorum hic riſus, civibus aliis in aggerum effoſſione, in inſtauratione murorum, in Urbis luſtratione occupatis, ne ſolus nihil agere videretur, agens nihil, & ne irrideretur irridens alios, doliolo, quo pro tecto utebatur, egreſſus, illud

idem

Digitized by Google

idem per confertas Populis vias toto pectoris niſu circumvolvebat, ac ſi novus Archimedes novo machinamenti genere ad Urbis incolumitatem, ad hoſtium perniciem, aut Philippo carcerem, compedeſque moliretur. Cinicum agebat Diogenes pleroſque Civium notans, ac ſi doliola verſarent, cum imperitia ſua plerique prodeſſe non valerent, ſed eſſent impedimento ſeriò rem agentibus. Placuit monitum, ſed magis placuit inventum, non ſine ſpe fęnoris imitari. Quid enim ſi Patria ſit mihi Corinthus, non ego ſim Patriæ Diogenes? & doliolum meum mundum ſcilicet oratorium, quo totus mente detineor, ità circumferam, ut in eo Martem tentem eludere? Res ad votum ſuccedit; nam in ea cogitatione defixus, dum

Digitized by Google

dum ſub aſpectum cadit aſſidua militum exercitatio, ac telorum tractatio, tantam aduerto bellatoris cum Oratore conſenſionem, ut auſim pronunciare Martis arenam Retorum eſſe magiſterium, nec artem aliam indicendo adhibendam Oratori, qua de Adverſario victoriam reportet, quàm illam, qua ductor exercitus utitur, ut de hoſte triumphet, aciem inſtruendo, regendoque. Quod ſi dicendo conſequar Diogene felicior invento non inutili intra dolium, Marte concluſo, & Patriæ, & Orbi litterato, & vobis auditoribus meis amoris monumentum relinquam non exiguum.

Rideat fortaſſe non nemo, ac ſi videat prodeuntem in publicum cum dolio Diogenem, dum diſpares omninò diſciplinas

nas

nas maritali pluſqam fædere ſociare contendo ſolo ingenii Himeneo. Quî enim poſſit toga cum ſago, arma cum litteris, cum gladio calamus, bellandi ars cum arte dicendi comparatione copulari? Verum recantabit Palinodiam ſi meminerit Rhetorem in oppugnatione mentium, & auditorum expugnatione judicumque deſudare, non ſecus ac ſubigendis Urbibus, arcibuſque miles incumbat, alterum verborum, ac ſententiarum tela contorquere, ut pilas alter, & contum vibrat, momentis rationum alterum concertare, cum amęnitate conjunctis, ut alter non ſine immanitate virium, ac lacertorum impetu præliatur. Quin imò præter quam quod ambo confligunt, licèt ſuavitèr alter, alter nervis omnibus

aſpe-

Digitized by Google

aſperitatis de Pirri Epirotarum Regis; Duciſque ſententia ſupra militem Oratori palma conceditur in arte pugnandi, expugnandique, dum Cineam tunc temporis Oratorum Principem ſecum una componens apertè pronunciat, Cineam in Regis poteſtatem plures Urbes perorando redegiſſe, quam ipſe ſibi ſubegerit armis depugnando. Ne verò ejuſmodi gloriæ lauream uni tantùm contigiſſe putemus. Quis quæſo vos deſides Athenienſium animos in Macedonem Græciæ inſidiantem libertati ferocius armavit, niſi Orator Demoſtenes? Quis Plebem Romanam in ædes Roſcii civis cædes inferentem, & ignes, ira pariter, armiſque ſpoliavit, niſi Tullius Orator? Quis jam ferientes ſatellites ſpreto Principis Imperio

rio amoris aureis ac benevolentiæ vinculis devinctos inhibuit ? niſi Orator Antonius? Quis Attilam ad Romana Rachim ad Peruſina mænia tendentes Vnnorum , ac Longobardorum Reges exterruit niſi Romanorum Pontifices , ac Paſtor Peruſinus , & Oratores ambo Zaccarias , & Leo , eloquentia magis quam armis pertimeſcendi ? Uſque adeo verum eſt non minus Rhetorem , quam Imperatorem exercitus pugnare , vincere , triumphare .

Jam verò , ut unde bellum exordimur , inde dicendi documenta deſumamus , libeat militum conſcriptionem , in qua primus ab Imperatore labor im penditur, intueri ; ab hac nimirum veluti ſegete Palmarum meſſis matureſcit uberior. Num

quam

quam ſiquidem rumor ille Cælo Terraque fauſtè diffuſus Romanos rerum Dominos extuliſſet ſubtracto ſtrenui militis delectu, numquam Annibal noſtrorum juga montium ſuperaſſet, numquam Marius gigantea mole corporis formidandos cum Cimbris Teutonas cęcidiſſet, numquam Cæſar nivibus calcatis ruborem Rithiæ montibus Alpium nivibus incuſſiſſet, niſi ſelecto milite ſuffulti inaudita facinora majori tentaſſent audacia. Ut igitur bono ſuo duces imitetur Orator, advertat, ut in dicto bello militem ſcripturus Imperator primò ignavum fucum pecus arceat à Caſtris, hominum videlicèt corpora, quorum vis tota membrorum abeat in amplitudinem, Ciclopes arceat, ut Vulcanos, quorum aut acies caliget

liget oculorum, aut pedum debilitas claudicet turpius in pugna quam in pace. Arceat imbelles ætatis culpa, quibus vel annorum longitudo vires fecerit breviores, aut ante lentè venientes, venientem quoq; virtutem retardant, ne de more fœminarum victoria, aut Pueros ſequi dedignetur, aut Senes. Arceat alios cum Macedone, qni vitæ ſpem collocent in pedibus, alios cum Antigono, qui lingua decertent potius quàm armis, alios cum Pompejo, qui hoſtis aurum ſitiant potius, quam ſanguinem, alios cum Cæſare comptos, atque comatulos de vultus integritate ſollicitos, magis quam tergorum. alios demum cum aliis, quos ſpernet imperaturos magis, quam pugnaturos. Deinde ut illos in album referat, qui toto cor-

corporis habitu Martem ſpirant, vultu feroces emicant, audaces fronte, luminibus iracundi, & ſi mavis etiam voce terribiles, qui oſſium compage robur oſtentant, membrorum firmitate ſpondent animorum conſtantiam, qui demum circuire, diſcurrere, ordinem ſervare, ſigna ſequi noverint in latus, in frontem, & ducis admonentis ad nutum verti. Hi nempe exercitum veluti corpus bene compactum inſtituunt, cui non nervi, non pectus, non toroſi deſint lacerti, quæ partes, ac munia ab ægregio milite referuntur aptius, quam venter; ut ille olim ajebat ab auro. Non ſecus ad rem bene gerendam ſeliget Orator momenta rarionum, & argumentorum aciem, hoc eſt Milites ſuos recenſebit ne copia-

rum ignavia cladibus obvius eat non victoriæ. Non enim minus eſt neceſſaria argumentorum, quam pugnatium electio, cum Oratio nervis deſtituta rationum idonea non cenſeatur ad ſuſtinendum nomen Oratoris, ne dum ad reportandam ex hoſte victoriam: Cum enim triplex tribuant Oratori munus dicendi Magiſtri, alterum quo concepta ordinate diſponat, tertium quo diſpoſita verborum ac ſententiarum, ornatu decorè conveſtiat, omnia in nihilum recident, ſi ut Domus fundamento ſic Oratio careat ratione, qua partes cæterę ſuſtollantur. Calleat ut lubet mellitis verborum offulis, abblandiri audientium palato, numeroſa periodo perbelle cadente auribus indulgere, ſubtili artificio adverſarios circumvenire,

re, illudere venuſtatibus argutiarum, luce figuratam mentis oculos preſtringere, quo tandem relabantur univerſa n ſi pondere argumentorum alienę mentis arcem quatiat, & occupet aliquando?

Conſcrlptis è pube Romana nobilique juventute copiis à Pompeio victoria non ſtetit, quod cum toti eſſent juvenes in pectenda cæſarie, vultuquè adornando viam ad victoriam Cæſari demonſtrarunt; Cum eniш id ſagaciter Cæſar adnotaſſet, imperat Militi ſuo ut intentis in faciem aſtis impetum in hoſtem faciat, nec plura juvenum acie turpiter in fugam effuſa, dum ii conſulunt venuſtati indecore fugientes Pōpeium de magnitudine fortunæ, ac nominis deturbatum in extremam proturbarunt in-

fælicitatem, orator verò ſola utens ſpecie verborum, ac floſculis, qui nec lumine ſplendent, nec urunt igne veritatis ad triumphum aſpiret? Cum Maximo Tìrio hunc Oratorem alloquor Pavonis pulchritudo arridet, & occulata plumarum venuſtas, quæ volucri volandi celeritatem adimit, cum vitæ periculo diſſonus à robore Filolmelæ cantus obleƈtat, non ſapit, aut clangor Aquilæ aut Leonis rugitus. Ut honeſtius Oratoris nomen ſuſtentet rationum momentis, at pondere indiget quæ à cauſa non aliena, non levia, non fallacia, ſed propriis hauſta de viſceribus peculiari quadam vi caput hoſtis, aut jugulum petant, cum enim audimus ſermones quoſdam facundiæ Sirmate perornatos, excultos arte, inanior tamen

men circumductos, nulloque fultos robore doctrinarū, An non Cyrum videre putamus agmen puerorum in Pueros alios educentem? aut Perſarum acies auro fulgentes, pretioſum in Spolium Macedonibus ituras? Itaq; ut palmam ſolida ſpe devores, idem tibi præſtandum cenſeas, quod in delectu militum ducem victoriis clarum præſtare commemoravimus.

Conductus Miles majori fortaſſe pretio temporis, quam ſim ſoluendo, minori tamen quàm neceſſitas expoſcat educatur in Campum dirigatur in aciem. Vides primò, ut ad regimen copiarum à Supremo duces minores chiliarchæ, tribuni, centuriones eligantur, quibus Miles in officio contineatur? Optimo moneris documento divi-

dendam eſſe Orationem in capita à quibus veluti minores. Gentes rationum turmæ deducantur in aciem, reducantur ad ſigna, ſinuentur in cornua, denſentur in falangem, explicentur in alas, cogantur in Orbem, acuantur in cuneos. Quid rogo te laccrtoſus ille globus in paucis antevolãs edocet, quem promiſcua ſubſequitur ala validiorum, debiliorumque? Quid remotior alius agmen claudens extremum, eorum, qui non in poſtremis habendi ſunt in arte bellandi? ¦Quid equites utrumque latus ambientes? Quid haſtatus ordo in fronte locatus ferreum quaſi vallum occurrẽtibus opponens? niſi methodum, qua in oratione argumenta ſint utilius collocanda. Validiora primum ducant agmen, medium teneant leviora,
clau-

Digitized by Google

claudant ex robuſtioribus alia, extra rem quæſita veluti equites, veliteſque latera muniant: ſententiarum verò manipuli primos, medios, poſtremos milites obvallent, Ne verò uno eodemque ductu periculoſius incedant in pugnam, tam bellatorum, quàm oratorem ſubtiliores artificii leges prçſtantiſſimi quiq; bellorũ duces edoceãt. Annibal ne adverſo Marte confligeret ſuas in partes aſtrorum Principem traxit, & quo adverſis radiorum telis in Romanos incurreret ſibi comitem aſcivit. Ità lucis auro veriùs, quàm ferro Romanum debellavit. Hinc diſce animos judicum, qui ſolis inſtar præſunt ſpectatores, in hoſtes irritare, tìbique conciliare. Fabium contemplare, qui cunctabundus montium juga non deſerens,

occaſionem prestolatur Pœnos invadendi ſecuriùs, tum nubìs inſtar in illos incurrentem, quemadmodum, & illa tandiu Montium vertices inſidet minitabunda donec ſolvatur in imbrem, & ſubjectas in planities procellam excutiat. Videlicet ſtudendum eſt ſecuritati, ſi cum iis res agatur, quos aut arte, aut favore fortiores agnoſcat, iis inſiſtendo rationibus, quæ eminentiores videntur, & jugulum petant apertius, quaſve hoſtis non facilè valeat eludere. Marcellum imitare, qui Siracuſas pro exercitu unius Archimedis uſas ingenio, obſidione in ſpeciem ſoluta in medie, inexpectatus intempeſta nocte revertens oppreſſit, & Maducto in gyrum exercitu Matheſi circulos eludens hoſtiles artes hoſtium arte ſuperavit.

Nec

Nec te Parthorum ſuga præte-reat, ſagacius enim feries, quem timorem ſimulando reddes incautum.

Plura ſuppeterent hac in re proponenda, ſed ne æquè ac bello oratione longiori veſtra expugnetur humanitas, libens omitto, omitto inopinatas, eruptiones, inſidias, quæque ad armorum varietatem ſpectant, & ſpeciem libẽter omitto, quòd cum pertineant ad ornatum, & latiùs euagentur, peculiarem ſibi vindicant orationem, inte-rim ex iis, quæ huc uſque percurrimus facilè concluditur Palladem non adeò à Minerva diſſidere, nec Martem à Mercurio, quin Martis in Campo, ac domi inter arma convenire tandem poſſint; quin imò à belli peritiſſimis eloquentiſſimos edoceri Magiſtros, ſive conci-

piendæ ſint rationes, ſive diſtribuendæ. Quæ cum ità ſint grates hoſtibus habeo, quod argumentum dicendi, ut opinor, non injucundum hodierna die ſuppeditarint. Gratulor etiam vobis adoleſcentes (vos enim alloquitur pars hæc Orationis extrema) quos bellatrix indoles, hi parietes, hæc Aula Aquilæ gentilitiæ, & majorum exempla enutriunt ab bella, informant ad arma, eo quod & genio indulgere, & litteris valeatis, & bellatores eſſe ſimul, ac Oratores; imò tunc maximè Rhetores cum bellatores, tunc pariter bellandi eximii cum Oratores egregii; Quid verò gratiùs Firmanæ juventuti poſſit accidere, quam in litterario ludo caſtra ſortiri, ducem agere in eloquentiæ tyrocinio, certare ingenio,
vi-

victorias reportare eo glorioſiores, quo jucundiores, quando qui ingenio velit cedere nullus erit cum præſertim in his non tela tractet, ſed calamos, non ſanguinē fundat, ſed atramentum, non cędes meditetur, & vulnera, ſed mentis lumina, ſtili culturam, pro quibus non vitam prodigat, fed faciat incrementa Sapientiæ. Ades igitur animo, pro galea caput muniat erudita rerum congeries, pro telo ſtylus aſperet manum, pro umbone pectus protegant cultioris documenta diſciplinæ, ſic pugnando, gloriæ triumphabis in Capitolio, ſponſore Tullio, dum Orator melior, quàm Poëta canit. Cedant arma Togæ, concedant laurea Linguæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRO
ELOQUENTIA

Præfatio habita Firmi Anno
1644.

PAranti mihi adoleſcentium animos ad amorẽ Eloquentiæ provocare, quo ſpectare debet quiſquis in hac ſolemni ſtudiorum inſtauratione ex hoc loco ad agendum ampliſſimo perorat primus, mentem commovet à cæptis revocans, quæ plerumque ſpiritus ſolet excitare prõptiores ad dicendum Artis, & Oratoris conditio. Nàm cum facultates amica vi rapiant animos tenerioris ætatis, & Oratori pariant audaciam, quæ nulla vitiorum umbra deni-

gratæ longè latèque coruſcantes præbent ſe luce ſua venales, quid conſequi ſe poſſe confidat, quicunque alieniſ ingeniorum ſudoribus mercem artis comparandam exponat culpa vel ſua, vel aliena non boni nominis, ac opinione multorum carioſam, obſcuram, inertem, nullo præditam lenocinio lucri, vel laudis, vel voluptatis? Vecors ille ſit oportet, qui ſcratur in ſordes, & quiſquilias artium, jacturam facturus in gloriam laboris, temporis, ac ingenii, Orator verò perfrictę ſit frontis, qui intentis in fraudem oculis tentet imponere, & pro auro ſplēdidioris facultatis fragilioris auricalcum vendere, aut pro adamante vi loquacitatis vitrum obtrudere. Cum ergo ea ſit hiſce temporibus miſera eloquentiæ conditio, qua

qua vel in Senatu Literatorum injuriis proſciſſa verborum artifex magiſtra nugarum teredo temporis aurium ludificatio, & negotium planè audiat otioſum, nihil honeſti, nihil emolumenti ſplendidæ voluptatis afferens penitùs nihil, an non animo cadat quiſquis eam exornare contendat? An non meritò vereatur Urbe pelli, cum Carneade ſuffragio ſapiẽtium, tamquam pernicioſus impoſtor, corruptor juventutis, labes ingeniorum, reipublicæ proditor inteſtinus? Quamobrem ſaniori me arbitror uſurum conſilio ſi conſuetæ parcens eloquentiæ commendationi, quoquo tandem valeam argumentationum robore objecta diluam crimina, & evincam remotas eſſe à veritate calumnias. Quod ſi conſequar indu-
ſtriæ

ſtriæ fructum colligam optatiſſimum, tùm quia præſtantiſſimam facultatem priſtinæ Majeſtati reſtituam, tum quia antiquo ſplendori reſtitutæ nullo negotio juvenilis ætatis amorem eidem conciliabo.

Nullus intèr Homines Areopagus adeo ſanctus, adeo æquitatis amicus aperitur, in quò quamuis incorrupta ferantur ſuffragia, innocens aliquando non damnetur, non abſolvatur Reus. Exulantem legimus Athenis Ariſtidem non aliùs criminis reum, quàm juſtitiæ clarioris; ſub Trojæ mænibus Ulliſſem premio donatum calliditatis cauſa verò Ajacem in armis licet meliorē cecidiſſe, ejectum Roma Camillum, quam paulo poſt erat ſervaturus, Antoniū verò ejuſdem everſorem ibidem vix non triumphaſſe. Nec pro-

proindè mirum videri debet ſępe innocentiam lædi, ſive de fortunis, ſive de Patria, ſive de Dignitate, ſive de capite decernatur. Ubi error in judice præſidet arbiter, in reo inertia, in actore prævalet imbecillitas, aut partium favor, vbi auctoritas interdum, odium, improbitas, præpotentia vigent, ubi ſæpe teſtis accedit mendaciũ, nequitia patrocinatur: Miror magis in foro ſapientiæ, literatorum in Tribunali à quo mentis cæcitatem animorum perturbationes, depravationem cordis luce ſua ſolet arcere ſapientia, fatum idem ſubire facultates, ac bonas artes humanæ fundamenta fælicitatis. Attamèn quotus quiſque veſtrũ eſt, qui contemplatricem Divinitatis integerrimam, & Philoſophiam naturæ indagatricem queę-

querelis impeti non acceperit? Scientiam de Deo diſſerentem qua nihil ſanctius, ſublimius nihil, non nè circumfertur in Philoſophiam ſilveſcere otioſa ſubtilitate Chriſtianam vexare Rempublicam, errorum ſemina jacere, nocentiora in fidem tela procudere? quid turpius, quid iniquius? Naturæ verò magiſtra ſive mores Hominum inſtruat, ſiveſenſilium, ut cum Lucretio loquar, revelet arcana qua nihil honeſtius, jucundius nihil, non ne tamquam ſophiſmatum architecta otiosè ludens in verbis, tormentum ingeniorum, inanium quæſtionum inventrix dilaceratur? Quid horribilius? Quid funeſtius? Et mireris ſi magiſtra dicendi non leviori laboret infamia? Si perduellionis rea feratur, & facultas una vitiis omni-

ni-

nibus obnoxia ? contra quam propterea, vt contra commune malum vel ipſi delatores declament eloquentiſſime ? Ità ne verò veteres Artes, quas antiquæ probitatis venerabatur antiquitas omnes interierint, peſſimæ verò huic ævo relictæ dominentur ? Nec potius deteriores ſucceſſerint artifices melioribus ? Grates interim puto querulis hiſce obtrectatoribus referendas, quippe qui arti quã profitemur patrocinantur eo uberiùs, quo impetunt furioſiùs. Dum enim eloquentes in hanc artem eſſe nituntur palam faciunt ſe non artem damnare, quàm fælicitèr exercent, ſed eos qui abutuntur infęlicitèr; quin etiàm dum corruptas lamentantur veteres diſciplinas, non tam artes, quæ olìm commendabantur notant

im-

imbecillitatis, quam illos, qui veteribus abiectis, præcepta nova cudunt, & inſueta. Quapropter ſub hoc hoſtium auſpicio, ductuque, fundamenta, pono defenſionis univerſæ, pleraque nimirum vitia, quæ artibus obiiciuntur non artium, ſed artificum eſſe apertiſſimè pronuncio.

Quod ſi hujuſmodi crimina à ſapientibus quoque impinguntur artibus, non id vitio vertendum judicibus puto, ſed naturæ imbecillitati, quæ proclivius labitur in his, quæ ſunt involuta, cum ſeverioris indiga ſint examinis, nec eorumdem cuilibet ſit veritas obuja. Mentis enim acies quamvis perſpicax, interdum facile fallitur, ut enim corporeus oculus, qui licèt expeditus ſi remotiora, & in extremo limine virtu-

tutis ſuæ poſita intueatur, aut curſim, conjuncta diſiungit, jungitque diſcriminata, obliqua dirigit, directa obliquat, aſtra palmo concludit, mutat quadrata rotundis, deque facibus inter ſe diſſitis componit incendia, quæ tamen omnia à veritate depræhendit aliena ſi propius admovetur, ac ſæpius. Sic opinor doctiores in errorem incidere dùm prætereundo perluſtrant obiecta diſciplinis, aut remotius, in quæ ſi vi mentis attentiori rurſus incumbant, erraſſe ſe longè depræhendent. In eloquentiam ergo defigant aciem, ac in hodiernos dicendi Magiſtros, hos aliis, non aliis artem vitiis laborare fatebuntur. In qualibet nempè diſciplina ſeiungenda eſſe artis peccata à peccatis artificum vulgus ipſe quamvis ineruditus

tus clarè nos monet cum inſpectis operibus eorumdem multum, aut parum jis artis ineſſe pronunciat. Num rogo te propterea militiam arguit, quia Davus, aut Drances aliquis Arma tractat imperite? Num Picturam eo quod colorum molitor tabulam telamque male colorat? Aut Muſicen ſiſtentor aliquis perſtrepat immoderatè clamando? Tribuenda itaque laus erit arti ſi recta, ſi conſtans ut quondam fuit, ſi per utilis hodieque inveniatur, quam vis ab ea longe deſciſcant profeſſòres, & male arte utantur egregia. Hanc humanitatem quæſo vos auditores cum eloquentia exercete, mentiar niſi integram, honeſtam, ingenuo digniſſimam adoleſcente, & literariæ per utilem Reipublicæ facultatem renuncietis,

Stat

Digitized by Google

Stat illa, ut quælibet alia facultas præceptis ſuis innixa à natura, à ratione, ductis tandem ab experientia, quæ ſi partes operis informent veluti nativa in imagine, ars ipſa majeſtate pleniſſima ſpectabitur; Texatur Oratio ad Tullii leges, ac Stagiritæ, & cordium regnatricem, qualem in Hortenſio, in Tullio Roma ſuſpexit admirabimur non obſcuram, non inutilem, út ab adverſario circum fertur, ſed qualis ex Rhetore Conſulem, ex Oratore creavit Imperatorem, qualis Reipublicæ libertatem aſſervit, incolumitatem Imperii propugnavit, qualis torpentes cives concitavit in arma, pernicioſas Urbi faces extinxit, perditos Cives à furore compeſcuit, qualis denique in foro, in Curia, in Caſtris leges tulit ſaluberrimas.

At

At inquies currenti hoc ævo diſſimilis tonat eloquentia, repueraſcit intèr crepundia verborum, vel effetæ jàm ſenectutis ſonos edit inanes nulla vi argumentorum ponderoſos, & labris hians, dum os pandit edentulam ſe præbet, quo cum ſeniculo moloſſo latrare poſſe mordere non poſſe demonſtrat.

Cum ergò rarus Orator hodie ab hac culpa jeiunet, quis eloquentiam ab injectis criminibus jactet immunem? Quis? imò ipſi met criminatores ſervant incolumen dùm intelligũt non veteres peccare, ſed recentiores. Tantum enim hodierni Rhetores removentur ab artis elegantia, ac robore quantum à majorum excmplis, ac præceptis abſcedunt: quamobrem tantum abeſt, ut artem

le-

lędant, ut ne umbrâ, quidem illa attingant. Quæro etenim num hujus diſciplinæ finis in quo tandem dignitas ſpectatur, ac virtus cujuſque facultatis, ſit perſuadere dicendo? num ad perſuadendum aptis utatur momentis rationum, num doceat hæc ervere ex cauſæ viſceribus, num eruta ſagaciter collocare, collocata eleganter exornare, num jubeat partes univerſæ dictionis colligare, ut cohęreant, ut alia ex aliis enaſci non congeri videantur, num doceat mores induere, motibus ardere, num à Tabulis temporum, à fabulis materiem, non tàm ad venuſtatem, quam ad vires comparandas corrogare? quæ omnia ſciſcitanti ſi reſpondeant taciturnitate, ac ſilentio, vera fateri judicandi ſunt, licèt opere tandem omninò

nò pernegent, artemque profiteri ſe jactent, quã nec à limine ſalutarint, ac proindè hujuſmodi culpas artem inficere non poſſe, ſed integrè in artifices ſubſiſtere. Quod ſi aliquis perſeveret in album Rhetorum tabulas hujuſmodi recenſere, quod ex Oratorum Principe Oratoris eſſe definiatur ornatè dicere paritèr, & copiosè, ac propterea ſi ad ſapientiæ tribunal ſiſtantur eorumdem elucubrationes ſeverius trutinandæ, ſingula verba, ſimplicia, compoſita, propria, translata, complexa perpendantur, advertentur nitida, ſignificantia, canora, concinna, non è trivio deſumpta non è veteri penu Lucretii, non Ennii de ſtabulo deprompta, non à novitate ſuſpecta, non ab antiquitate ſemeſa, ſed ab inverſione nobi-

bi-

Digitized by Google

bilia, conſona, robuſta; Si ſententiæ, vel preſſius vibratæ, vel in periodos latiùs circumductæ invenes, ſpecioſas, grandes, pondere ſuo ſtantes, ſi periodi trutinentur leni,&vocum junctura fluentes audias, non hiulcas eliſione vocalium, non aſperas conſonantium concurſu, ad menſuram ſpiritus plerumque libratas, elaboratas dicas ad tornum; Si demum ſtructuram evolvas ità compactam ſentias ut ne ſeverior quidem Rhadamanto judex nævos obſervet impedientes ne ad unguem excurrat nempe figura figuram excipit, ornatum ſequitur ornatus, lumini ſuccedit lumen, ut plane dicas in eam eloquentiæ de ſcriniis effuſa decora omnia confluxiſſe, An de Rhetorum ſillabo auctores meritò contendas expun-

gere? Qui ſic loquitur meminerit Tullium ornatæ, copioſęque dictionis vim in Oratore commendaſſe quidem, non tamen his finibus Orationem concluſiſſe. Planiùs dicam, Orationis dotem eſſe non perſonam, cum idem met tot inſtruxerit documentis Oratorem in Partitionibus, in Libris ad Herennium, aliiſque operibus, quo ſolidè, eruditè, nervoſe diſcat argumentari, docere, delectari, movere, ut pars omninò ultima videatur ornata ſimul, ac dictio copioſa. Sicut ergo peritus in arte cenſeri non debet, qui partem artis non integram callet, nec pictorem nuncupare ſolemus, ſi tantummodo ſciat ſimulare cupreſſum, nec Apollinem, qui rudiori manu, vel pede cum Eſopi Aſello liram tangat, ità nec
Rhe-

Rhetorem habendum eſſe concludemus quicunque facundè, ſplendideque loquatur, neſciat verò ſolida argumentatione concludere, pugnare validiùs, ac permovere. Concedimus ultro Oratoris eſſe Cælum expandere multo ſydere luculentum cum Phalerio, cum Callidio emblema teſſerulis diſcoloribus vermiculatum, Iridem colorum varietate venuſtam cum Philoſtrato, cum Ennodio regale diadema gemmis diſtinctum, pratum florum ubertate fęcundum, cum Antifonte tabulam colorum amęnitate animatam cum Oratore, cum Baſilio ver novum omni florum genere vernans. Quid tum? An ornatus non veſtis erit Orationis ſed membra, vel corpus? Age iterum ſit pars Orationis dictionem exornare,

erit ne propterea ornamentis obruere? Hoc quidem nec ars, nec Ariſtoteles, nec Tullius nos edocent. Cælum ergo repandat ſydereis illuſtre figuris, non perpetua galaſſia nebuloſum, eò ſtellarum copia ſpecioſum minus. Emblema, ſed lapillis per intervalla diſpoſitis non indiſtinctam lapillorum congeriem, Iridem arcuat radiorum pennicillo, non per pe. tua colorum litura denſius obductam, picturam ab umbris clariorem, diadema in quo diteſcat auri fulgor à nitore gẽmarum, ver denique pratumque floribus, herbuliſque decentius interſtinctum, ne incedens Orator ornatior, quam par eſt, de lucubratione ſua mereatur audire, quod Pictor de onerata gemmis Elena. divitem efformaſti non venu-

ſtam

ſtam . Quoniam igitur errat quicunque vel ſolum exornat, vel nimium Orationem excolit, num loquaces propterea hujuſmodi Oratorum oracula venereris, aut artem incuſes elequentię, quod hoc ævo cultiores prodeant Rhetores, quā robuſtiores? Video quo iterum effugiant recentiores locutulei, ut adhuc errorem ſuum artis clypeo tueantur, dicunt huc tandem prouehi quod ab arte doceantur auditorum genium ſagaciter odorare, eique indulgere liberaliùs, quò ſibi eorumdem concilient benevolentiam, ne ſi rigidiores exhibeant ſe, eorumdem in animum ſibi penitus aditum intercludant. Ætas inquiunt hæc noſtra delicatior niſi frequentiori demulceatur ornatu, niſi mellitis velut offulis audiendi fames eidem

Digitized by Google

excitetur quæcunque ſolidiora proponantur eſculenta, veluti nauſeabunda faſtidit. Quare ſi hac indulgentia peccare videmur, exarte peccamus, & cum Poeta.

Laudamus veteres, ſed noſtris
utimur annis.

Et quidem hoc vitio cum cæteris artium Profeſſoribus non uni laboramus oratores. Conveni pingendi peritum, quando, quadam junguntur affinitate fandi, pingendique facultates (Pictura ſiquidem muta eſt oratio Oratio vero Pictura loquax, quod verbo mores animi, ſenſuſque coloret, jube ex intimo officinæ tuguriolo proponat tabulas, quæ arti pretium faciant, & admirationem, illico exclamantem excipies, ò Niciæ Canes vel oblatrantes in Tela, ò Zeuſis vuas,

vel ab avibus expetitas, ò velamenta Parraſii, vel ſapientium oculis imponentia, ò ſemeſas temporis reliquias ſed artis integerrimæ! Jubeas iterum hujus ævi miracula proponat, cunctantem videas, moraſque nectentem, teſtudine, eo pede procedentem quaſi pigeat, pudeatque ſui, invitum tandem depromere tabulas, colorum venuſtate oculos, animumque ferientes, quas ſi curioſus intuearis, & veri ſimilitudinem inveſtiges, ſi rerum perpendas collocationem, ſi umbrarum ac lucis artificium, ſi partium ſimetriam, nihil invenias, quod non abundè repræhendas, videas videlicet Virgines Venere procaciores, aptiorem ad fuſum intèr puellas Achillem, quã inter milites ad Arma, videas agreſtia urbanitate cultiſſima,

ſeria levius colorata, ſimul audias novæ artis ab antiqua diſſidium ſic excuſantem.

Laudamus veteres, noſtris tamen utimur annis.

Nimirum nō æternitati pingitur ſed ætati. Idem cum Pictore Statuarius, cum Statuario Cęlator, Architectus cum Cęlatore pronunciabit. Quod ſi licet cæteris diſciplinis, quæ magis oculis debent inſervire, quàm auribus; eloquentiæ, hæc ex arte proferre denegetur.

Egregiam plane defenſionem, ſagax profecto ingenium, quod ut ſibi conſulat officit facultati. Incaſſum tamen laborat, Ætati quidem dandum eſt aliquid non recuſo, num propterea diſciplinas pro libito ætatis corruptæ cenſeas proculcandas? Num eruenda ſunt fundamenta, num leges omnes

bo-

bonarum artium diſſolvendæ? Itaque malè tegeris quicunque ad ætatis ingenium vitioſæ recurris, & ad artis documenta. Falleris præterea ſi putas hodieque Tullianam faſtidiri facundiam. Age caput attollat illa ſuis e cineribus, iterumque prò roſtris in Verrem, in Vatinium in Antonium, in Catilinam invehatur ardentius, iterum prò Milone, pro Marcello peroret mitius; mentiar, niſi ſæpius audita, ſæpius ad roſtra ſuggeſtumque depoſcatur avidius, niſi per integram diem attentius excipiatur, quam per ſemiclepſydram recentior quilibet, quamvis ingenioſior peroret, ac ornatior. Quis (& quidem hac ætate) quæſo vos ad frequentiorem panegerim verba facit, quis per ampla templorum ſpatia reddit angu-

ſta concurſu Populorum, niſi qui Tullium ſapiat? Alia itaq; parma ſe tueantur Rhetores hodierni, non artis, non ætatis clypeo, ſed concedant potius culpas eſſe artificum, & Oratorum peccata quibus hodieque redarguuntur, non facultatis oratoriæ.

Accidit planè Rhetorum arti, quod auro hiſce temporibus. Convenerunt die quadam Urbis cujuſdam Senatores, ut de Reipublicæ agerent ſtatu miſerrimo, & fabulantes, eò devenerunt, & publicæ ruinæ cauſam ſaltèm potiſſimam, in mulierum vanam ornatus appetentiam omninò diſpendioſam rejecerint, quippe quæ ut Mundum ſibi muliebrem inſtruant Mundum deſtruunt univerſum, cum ad ejuſdem conſtructionem ne dum redditus

an-

annui privatæ familiæ vix ampliora Regnorum ſufficiant vectigalia. Malo remedium allaturi, ſanxerunt ne mulieres in poſterum aureum quid ad ornatum uſurparent præter annulum uxoriæ fidei monitorem. Pragmaticam hanc legem tulit ęgrè levitas fœminarum, quæ ſibi ab aureis potiſſimum ornamentis pretium faciebant. Et quoniam hac in re valent ingenio, excogitarunt, quo pacto poſſent interdictum auri ſplendorem compenſare: Quid expectatis? In venenum tranſtulerunt antidotum, majori familiarum diſpendio ornamentum ab auro denegatum, eodem pretio emendicarunt à paleis. Oculo pluſquam linceo ordeacea in palea neſcio quid aurei ſplendoris inſpexere, ut ergo pallor ejuſdem ad

au-

aureum magis accederet paleam lixivio, medicatiſque liquoribus detergendo, molliendoque eò perduxere, ut auro non impar effulgeret, emollitam verò deterſamque attenuarunt in bracteas, in filamenta, quibus variæ conficerentur texturæ, tum ut capillis leges darent, & veſtibus ornamenta, tum ut e pectore torques, & collo monilia ſuſpẽderent, manibus donarent armillas auribuſque inaures: quid plura? quando fœminis auri pondere in theſauros abire non licuit, palea levioribus abire placuit in palearia, & quod turpius eſt vel ab operis novitate, vel à labore, vel à furore fœminarum paleæ non minùs quàm aurum evaſere pretioſæ, immenſo pene Reipublicæ detrimento, ac pudore pari Senatorum, quando

do paleas in aurum , aurum in paleas deſciviſſe compererunt . Haud aliter Oratores hujus ævi cum ſapientia deſtituantur ſolidiori inani ſaltem ornatu conantur elucere , hoc eſt aurum ordeaceas omninò in paleas commutare , quid enim levius fulgore illo, qui cum fulgure perit dum ſplendet, qui aciem perſtringit oculorum, mentem non erudit? Quid inconſultius, quam ornatum incedere viribus deſtitutum, auribus eblandiri, mentem non impellere, non urgere momentis rationum ? oh fœmineos pene dixerim Oratores, & palearia eo leviora, quo ampliora ! Oh infelicem pariter artis conditionem! quæ ab amatoribus ſuis, tam fęde proſcinditur ac maculatur, cum ab ea divulſi pęnitendo divortio Ma-
tro-

Digitized by Google

tronam natura ſua pulcherrimam enervant, & ſolidioribus dicendi viribus deſpoliatam, adulterinis fucatam ornamentis alienæ cupiditati ſubjiciunt, ac honeſtiſſimam planè laſciviri artem compellunt. Intellexiſtis opinor Judices humaniſſimi, Rhetores hujuſmodi nomine tenus non re Oratores eſſe, Rhetorum umbras non ſpiritus, qui artem ſin minus lędunt, vitio ſaltem ſuo deformare nituntur, ſed intellexiſtis quoque artem adhuc innoxiã, integramque antiquam Oratorum ſpirare majeſtatem, & quæ in ea repræhenduntur non artis eſſe peccata, ſed artificum, qui dum gloriolæ, dum ætati, dum genio, dum ſtudent adulationi, non artem exercent, ſed artis ſibi conſtruunt inane ſimulacrum. Quæ cum vera ſint, gratula-

tulabor quàm maximè literariæ Reipublicæ, adoleſcentibus meis gratulabor, quod facultatem amore proſequantur non carioſam, non vaniloquam, ſed ſplendidam, pleniſſimamque ſapientia, ſed Orbi ſalutarem, à qua Civium familiæ, Patriæ decus cum libertate dependeat. Quamobrem cum Craſſo poſtrema voce vos alloquar juvenes ornatiſſimi. Hæc Urbs, hi parietes, Senatus hic, & Imperium per bonos Oratores ſtabunt, nam Oratore bono nullus melior Civis, malo pejor nullus. Ut autem in optimos evadatis, hoc tenete, optimus ille futurus eſt Orator, qui perorando veterum, vel præcepta referet, vel exempla.

Digitized by Google

POESIS

ARTE PERFICITVR

HORATIANÆ POETICÆ

Defenſio prima habita Romæ cum Auctor ſuffectus eſſet P. Guglielmo Dondino in Claſſæ Rhetoricæ Anno 1648.

SEPTEMBER evolvitur, ut norunt quicunque aliquid norunt NN. qui licèt inter Menſes à quibus annuus Orbis circumducitur ſeptimus ordine numeretur, unde nomen invenit, uſque adeo tamen deliciis affluit, ut nulli ſecundus habendus jure videatur. Autumni caput, & parens quot dies ducit tot ho-

homines recreat oblectamentis, quot horas enumerat tot innocentis lætitiæ blanditur argumentis. Ille varietate pomorum, ac ſuavitate coronatur, ille aeris benignitate ruſticatum invitat in villas, ille venationis oportunitate hilares rapit in Silvas, ille ad otium multiplicis aucupii non ignavum trahit in campos, ille piſcium gregibus fęcundans aquas ad fluminum ripas feſtivos allicit piſcatores; ut paucis utar; niſi uno careret muſarum lenocinio pleniori, fructibuſque ingeniorum, optandum eſſet, ut unus toto decurreret anno September. Verùm mea quidem ſententia Bacco ſemper fauit magis quam Appollini, cum sēper adoleſcentes a ſtudiis litterarum ad otia ſua potius avocarit. Apud veteres Plinio

refe-

referente à tertiis decimis uſque Kalendis ad idus Octobris Temulentiæ Numini ſacer ibat, cum in honorem ejuſdem Numinis ſecunda vinalia celebrarentur, & ab uſque Noemo vinearum auctore adlaborante natura, quotannis pendet ab arboribus, noſtriſque ad libertatem, provocans ſpumat vindemia labris. Cum interim Muſis nec feſti dies, nec nefaſti tranſigantur rectius dixeris decurrere intercifos, Muſæ ſiquidem juveniles, nec ſeverius litare jubentur Appollini, nec penitus abſtinere, ne aut urgeantur ad capitis uſque defatigationem, quod periculoſum cenſetur ingeniis, aut genio largius otiandi nimis indulgeant, quod Muſis pariter habetur maximè perniciofum. Quamobrem quicunque hoc tem-

tempore primario in arte dicen. di Profeſſori in edocendi munere ſuffectus hoc ludo includitur ut mihi hodie contingit de majorum Imperio, in id inſudare potiſſimum debet, ut arbitror, ut inter utrumque tenens materiem ſeligat juventutis inſtitutioni, qua non invita minerva cogatur ad ſtudia, ſed velut oves virentis illicio rami eruditos ſpontè rapiantur ad labores. Dum ſerius hanc inquiro, obtulit ſe mihi Poëſis, qua per amęna Parnaſſi juga leni tractu adoleſcentes meos ſpatiatùm deducerem, cum Poëſis illa ſit, quæ dulci miſcens utile ſuavitatibus delibuta queat ità mentes occupare, ut volentes trahat vel invitos, ne verò ducis novitas vel auctoritàs minor in itinere aut dubios redderet, aut ceſpitantes,

Digitized by Google

tes , placuit non ſine compendio laboris, ac viæ,ducem adhibere magni nominis Poëtam, & peritiſſimum viæ Venuſinum, qui præceptis in arte Poëtica poſteritati relictis, face quodammodo præiret, ac veſtigio. In hac animo, conquieveram, manumque operi admovebam & calamum, cum repente, acſi ſecunda fruens navigatione in remoram impegerim , cogor hærere , tum interim ipſa met malacia in tempeſtatem verſa dum omnia permiſcentur, vela penè contrahere. Neſcio quo pacto ut non raro ſunt ſępes auritæ; conſilium meum excepe-runt, ſimul, ac evulgarunt non nulli:cum ecce tibi eruditorum vulgus & amicorum (ſtudia in cõtraria diſciſſum)illico me circumſtat, tumultuandi cauſa ea fuit, quod pars alia conſilio faveret,

veret, alia verò ſeſe fervidius opponeret non ſine Venuſini contumelia, quaſi deſipuerit, dum Poëſim liberam, divinamque mancipium facere voluit artis ſuæ: In tam aſpero rerum articulo, quid conſilii caperem præter id quod tam Oratores, quàm Poëtæ veteres in ſimili contentione uſurparunt? nempe ut provocarem ad Populum, ſivè Senatum Reipublicæ Litterariæ? Propterea diem vobis Patres hodiernam indixi, ut quotquot huc humaniter acceſſiſtis ſapientiſſimos Judices conſtituerem. Provincia non levis humeris veſtris imponitur, neque enim parum refert Reipublicæ antiquiſſimam hanc litem aliquando tandem dirimere ſententia decretoria, an videlicèt Poëſis arte perficiatur; nam ſi juventur arte alumni

ni Muſarum Appollo, quam plures muſas enumerabit, ſin minus artis manum admittat innumeram faciet civium jacturam, ac ingeniorum, cum non omnes à natura creentur ad Poëſim. Veſtrum igitur ſit pro æquitate, ac ſapientia qua polletis maxima pronunciare, meum erit ſincere, candideque pro utraque parte rationum momenta perpendere.

Venuſino ſic opponitur Attilius Libertinus Eques Romanus renunciatus Ædilis, ut ſibi plauſus Populo materiem exhiberet hilaritatis apud Filenas ſuperbum planè theatrū aperuit in quo ludos haud impares ſpectatoribus daret, ſed imperitia fabrorum, aut arrogantia factum eſt, ut machina bibulis arenis impoſita nullo ſolidiori fundamento accuratè

fulciretur: hinc ubi frequentia Populorum, ac pondere cæpit prægravari male firmata moles immenſam planè ruinam traxit octoginta Hominum millibus loto datis; Sic ante ludos ſpectaculum exhibuit adeo luctuoſum, ut ignores Theatrum ne dixeris an ſepulcrum. Libertino comparandus venit Venuſinus, poeticam ſcribit, nam ſpecioſam quidem attollit molem, ſed nullo innixam fundamento, ideoque quicumq; per eam Parnaſſi culmen nititur attingere, verendum eſt ne feratur in altum ut lapſu ruat graviori, funeſtumque præbeat ſpectaculum intuentibus, non tàm Poeta, quàm Poetæ cadaver, aut umbra: Et quidem divinus ille Plato Poeſim entheam appellat commotionem ſine qua aut Muſa frigeſcat, aut pe-

Digitized by Google

penitùs anima deſtituatur, Romanus Orator de veterum effato pronunciavit cæteras artes liberales ſtudio, ac arte, Poetam verò natura valere. Quid ſonat vox illa vulgaris Oratorem fieri, naſci verò Poetam? An non itaque Poeſis in natura fundatur? eaque ſubtracta à cujuſcumque artis induſtriæ depereant? fortaſſe dictis refragatur experientia? Quicumq; deſtitutus enthea vi, aut natura, numerum tentavit augere Poetarum, quamvis arte munitus apprimè, an nõ cum Tullio vitæ, laboris, temporis, ingeniique jacturam faciẽs laurus ſuas vel in ſemine ſenſit areſcere? Martialis ligurinus Celeno fædior perſtrepens, adeo importunus cænantibus aderat, vt cantitando convivas abigeret incænatos, carminis embama-

 ma-

mate tam ingrato cupedias aliàs ambroſia conditas inſpergens, ut ſtomacum moveret, crearetq; faſtidium vel fameſcentibus. Legimus Melitum Larium lapides quidem cum Principe citharedorum attraxiſſe cantando, non tamen auritos, ſed ut ita dicam malo ſuo manuleatos, quippe qui accurrerunt adeo violenti, ut Poetam occiderint non coronarint. Mitto Teognidem, qui comœdias, quidem artificiosè contexebat, ſed rigenti adeo vena, ut rigore, geluque nives ſuperaret nominis ſui. At è contrariò Pindarum veneramur, veneramur Homerum cum Marone, qui antequam à Flacco præcepta ſcriberentur natura tantum docente, extroque ſtimulante ad miraculum uſque cecinere nempe Apollinis lira, ut Jovis

Digitized by Google

æra non niſi ſponte tinnit ad numerum. Cum in littore Alcedo nidulatur naufragio penè cymba poeſis abſorbetur, Sirenæ ſubacto mari, pacatoque lacrimantur, quæ modulantur ſuavius inter procellas. Fruſtra tandem ad Poeſim nititur, qui ſapientibus Apollinaris æſtri non urgetur intemperiis, quid ni ergò lyriſta noſter male fundatum arte theatrum erigat, cum arti ſubeſſe natura, aut furor illi divinus non patiatur.

Ferebatur olim Academicorum, & Cabaliſtarum (verbo ſit venia) opinione mentes illas à corporis concretione ſejunctas, quæ in cœleſtium rotatione globorum occupabantur lapſas è Cœlo verſandis Poetarum ingeniis incubuiſſe, quaſi verò labor idem, qui aſtris circumvolvendis adhibendus ad

circumagenda orbiculata poetarum capita requireretur, ac ſi opus idem eſſet in curſum aſtra dirigere, ac Poetas in carmen impellere, idem beatos aſtrorum influxus terris influere, ac numeroſo carmine audientes recreare, auribuſque dulciter allabi, niſi potius nos edocere voluerint Poeſim tandem adeo rem eſſe divinam, ut cœleſtes potiùs deceat, quàm hujus Orbis inquilinos. Ut ut ſe res habuerit intelligendum eſt poeſim è Cœlo venire, vel cum Pallade de cerebro jovis enaſci non ex antro prodire Vulcani, manu cuſam, malleoque. Fac ergo hac enthea vi, æſtroque Poeſim aſſurgere, ac cum Venuſino an os ponas in Cœlum? aut velis divinitatem artis alumnam regaſque prçceptorum habenis? aut artificio

mo-

Digitized by Google

modereris, Senecam audi monitorem, furioſo furioſiùs, agitatur qui furenti leges nitatur imponere; quid Divinitati? Numen ſibi lex eſt, & aliis, nec aliam extra ſe patitur legem: ſi ergo poetam legibus aſtringere niteris, aut Poetę Divinitatem, aut Poeſim tollis.

Tirios deriſit antiquitas, quod bello imminente, vel Urbe obſidione coronata lapidea numinum ſimulacra vinculis aureis illigarent, quaſi verò aut ea ſic illigata non poſſent aufugere, aut hi vellent veluti ſoluto ſtipendio pluſquam militari ſacramento ad Urbis tutelam obligare. Xerſem quoque verbere digniorem, & compede reputavit, quàm Imperio, Cidarique Perſarum, quod Neptunum punire verberibus, catheniſque vincere contenderit,

nec inſania pari laboret Horatius, ut qui cum Muſis ſpirantibus Deorum ſimulacris audeat leges dicere, nexibuſque præceptorum coercere? Fluctuat Poeta pariter, ac Oceanus, hic fluctibus tumet inter limites arenarum, furit ille intra mentis littora; Ille intimis Numinum impulſibus, hic inſano ventorum impetu commovetur, itaque cum Xerſe Oceanum, cum Tiriis Numina vincit in Poeta. I nunc Horatium commenda ſi potes, aut non derideas, adeo certum eſt Poetam agitari Numine, legibus experte, aut Numine deſtitutum inter Poetas uon recenſeri.

Audiſtis, quæ ad inſaniam uſque non nemo opponere conatur Venuſino ut perſuadeat Poetarum eſſe ſine legibus inſani-

nire, quibus tamen hæc alii reponunt. Antonium in memoriam revocandum eſſe, qui Creticos aggreſſurus claſſem vinculis potiùs, & cathenis oneravit, quam obarmarit telis, ac milite, qui propterea luens pœnam temeritatis amiſſa Claſſe, milites, ac navigia, cathenis à ſe paratis viderit ab hoſte victori circumduci, ſæpè nempe ſibi parantur vincula non aliis. Parcius tamen his utuntur, & leviora mittentes ſic pugnant ratione ſolidiùs, quid inquiunt iniquius eſt Muſam artis, an Muſæ numen conſtituere mancipium? Rurſus qualis hæc Divinitas tam facilis, quæ ad Muſæ nutum cantatura ſua de ſede præcipitet? Quanam demum Divinitate tàm effusè, tàm aſſiduè Poetæ donantur? Num

qua veteres animabant ſaxa, quercus, æra, tripodes? Hanc ſi vultis vobis ultro concedimus, ſed intelligite actum eſſe jam de Poetis, nam cum non niſi ferreos ad ictus ſonos ederent, non niſi benè contuſi Poetę carmen effundent. Si hęc non placet iterum rogamus; num qua & Pitomantes, & Arioli, & Phebades Oracula profundere? & hanc ultro vobis habete, tantummodo vobis cavendum eſt, nequos ad ſuperos ſtudetis attollere trudatis ad Inferos, ne furiis damnetis, quos furore vultis & æſtro correptos; Num demum qua baccantes dementius debaccantur? Hanc Horatius quoq; Poetis indulſit dum Bacchi clientes enunciavit, quos tamen ad ſobrietatem revocatos omnino ab arte non eximit. Sola jam reſtat vera Divinitas,

que

Digitized by Google

quæ & Numine, & Majeſtate omnia complet, omnia movet licèt immota, quam Poetis ineſſe nemo ſanus inficiatur, neq; nos adeo ſumus impiè Religioſi, ut opinemur tanto Numine indignum Muſis adeſſe concinentibus, aut dignius harum inter cantus circa Cęli cardines otiari. Senecam præterimus inauditum, qui Vates. Divinitatores, miſtas ingenio vexat, quod puſillæ rei Numen velint adminiſtrum, dum occupatum volunt inter volucrum pennas, voces, & numerum, atque inter exta victimarum humiiius occupari cum popis, remque culinariam aut purgare, aut recognoſcere, ac ſi Orbis moderationem minus curet. Fatemur itaque ſincerè, ſine Numine Poetas verſus non concinnare, aſſerimus tamen ea

tantùm ope fulciri Divinitatis, eaque vi commoveri, qua & bellator in prælium, & Naturæ arcana rimatur Philoſophus, & turbas commovet Orator, & quilibet Artifex artis ſuę architectatur machinamenta. Non itaque Poetis animam detraho, non æſtro non Divinitate deſpolio, ſed ad Poetas tãtùm tamquam ad inſulas religatam nolo, neque illos Oratoribus, ac Philoſophis Diviniores facio. Neque enim Homerum, & Maronem Iliadem, vel Æneidem, Tullii Filippica commentatione Platonis tamquam diviniorem adoro; Breviter Poetas aliorum in ordinem redigo, demo ſuperbiam Nominis, atque perſonam. Doletis tamquam lętale vulnus inflixerim? immeritò ſanè deletis, vis nempè naturæ, quam ut aliis ità Muſis

con-

concedo, ea eſt, quæ, & Archilocum armavit jambo, & ſuo Saffonem carmine iracundia ſucceníos *Exodium*, ac Iperidem Vates creavit, ductos impetu amoris, Turaebum inſuetæ commotione lætitiæ in Poetam abire coegit. quid plura? in contemptum fortunæ, quos illa depauperavit Poetico locupletavit influxu, quod apertè de ſe fatetur Horatius.

Et laris, & fundi paupertas impulit audax
Ut verſus facerem, & quidem cedro dignos.

Quamobrem dum natura Dotibus inſtructa phantaſiæ, ut ajunt, ac ingenii fervidioris Poetas donamus ad Poeſim inſtructos ſatis relinquimus, nec alio opus pronunciamus influxu Divinitatis.

Quæ ſi vera ſint, Hoſtes ab arce

ce Diuinitatis extractos apertam in arenã deduximus ęquiori de loco manus collaturi. Aſſerimus ergo naturam arte juvari, adeoque non repugnare Poeſi artem editam ab Horatio, ſed conciliari poſſe, unaque in ſede locari, & Appollinis aſſeclas, artis manu in omnem Poeſis elegantiam efformari; Quod ſi quandoq; natura contumacior artem videatur indignari, ſimilis eſt adamanti, qui licèt malleo frangi recuſet, eũque percuſſus acuto dente remordeat, limari tamen mollius ab arte, & illuſtrari amat luculentiùs, gaudetque cum fęnore lucis rotam ſubire, aut limam; Negas fortaſſe arte naturam expoliri? Quid ergo agelli cultorem tui non increpas?

Qui ſi ſerere velit agrum
Liberat arua priùs fruticibus
Fal-

Falce rubet, ſilicemque reſecans
Ut nova fruge gravis Ceres eat?
Quid ſternacem equum Seſſoris impatientem natura præferocem edomandum tradis equiſoni? quid æſtuanti per venas febri veneno ſerpenti per viſcera compoſitis ab arte medicamentis celeriùs occurris? Quod ſi peccantem in his naturam ſapienter corripis pinguis ingenii ſolum permittas abſque cultura ſilveſcere? Grallatoriæ mentis equum ſubſultare Seſſorem excutere ſine ductore, ſine freno ire ſinas in præceps? Si Muſa juvenilis capitale contrahat vitium, ſi venenum poeticę labis abſorbeat ſpreto artis antidoto ad ſaniora conſilia non revoces, ſenſuſque moderatos? quin potiùs ſi pictor, ac Poeta humano capiti equinam velit cervicem injungere, ſpecta-

ſtatum admiſſus derideas cum amicis non emendes? quoties ridemus cum exleges audimus Poetas, eorumque dicendi modos, quos ritè ingenioſæ portenta dictionis appelles, ſcilicet dum ſydera vocant ſtellati cribri lucentia foramina, Solem ætherei cyclopis oculum ſingularem, cæleſtes Orbes ingentes Cœli fornices, & ſimilia, quæ ſi arte compeſcas non ridebis, ſed admiraberis ſublimi Muſas ferientes Sydera vertice.

Vivit adhuc hujus Urbis in oculis alter, & nomine, & muſa Virgilius, quem quidem non genuit Mantua, ſed Barrea Pagus Apulos inter, & Calabros jacens, hic ubi ſarritor, & bubulcus avena gracili modulatus ruratus eſt aliquamdiu, neſcio quo naturæ ductu Romam im-

impellitur, ubi inter domeſticos, ut ſatis ingeniosè auditus eſt canere, & etiam ex tempore carmen effundere, quia tamen pagrum unde venerat non parum Muſa redolebat, ſuadetur ab Amicis, ut a culturæ Terræ ſe transferat ad ingenii, muſęque culturam. Paret conſulentibus Poëta rudior, ſelectiora legit attentius, Poetarum carmina audit elegantiora, & meliora ſecutus exempla brevi uſque adeo profecit, ut elegantiores ęquaverit Muſas, ne dixerim ſuperaſſe, & quem olim inter Parnaſſi lixas, aut vernaculos recenſuiſſes, jam inter cives politiores cogaris accenſere. Alium tamen quem in artis patrocinium proferam teſtem habeo plane locupletiorẽ, quippe qui rei quam tractamus, & lingua ſuffragetur, & calamo

Do-

Dominicus Periùs hic eſt Vates alter, & agricola, Patriam ſortitus eſt in Etruria , qua Mons dum in longum extenditur a magnitudine vulgari nomine dictus eſt Montagnata, ea præſertim in parte qua in Septentrionem vergens ab ortu impoſitam arcem , ſuſtinet dorſo, unde nomen etiam peculiarius ſibi fecit d'Arcidoſſo . Silveſtre quidem ſolum, quod credas à natura quercubus alendis, caſtaneiſque prægrandibus deſignatum , ſed a Cœli temperie omninò factum experimur ad facundam ſublimiorum ingeniorum ſobolem progignendam . Hic Perius diu hæreditario innixus aratro vitam, familiamque parcius ſubſtentavit, fortunam credas habuiſſe novercam, cum ſibi victum ſudore comparare cogeretur, na-

turam

turam tamen parentem ſenſiſſe benigniorem, eo quod locupletiori ditaſſet ingenio, nam cum panis copia deſtitueretur in arca, abundè laurus illi naſcebatur in ſulco, quare metro ditior quam mero, & lautior Muſa quam menſa diutius victitavit, ſuſpenſo videlicet inter arandum aratro ad jejuni ventris levamẽtum pleno gutture cantitabat, & primo quidem ſibi cecinit, ut laborem excantaret, & famem, ſed à circumfuſis paſtoribus auditus, probatuſque, nomen ſibi Poetæ à ruriculis acquiſivit, hinc factum eſt ut etiam aliis canere amabili violentia ſit coactus, & paulatim fama creſcente eò devenit, ut nullus in vicinia frequentior Cætus, nullæ nuptię, nullus clarior dies celebraretur quin evocaretur Perius ad cantum,

tum, ut aliis hilaritatem conciliaret, ſibi prandiola, ac munuſcula innocenter jucundus corrogaret. Egreſſa tandem eſt e Senenſi ditione Perii fama, & perlata Florentiã ad Principis uſque pervenit aures, qui ſæculi ſui litteratorum Mæcenas Florentiam accerſiit, neque enim decebat tam peregrinum ab ingenio florem alibi vernare quam florum in Patria, dum hic degit inter cætus eruditorum, & canendo, audiendoque dies tranſigit, deducitur ab amico in Collegium noſtræ Societatis ea die, qua adoleſcentes, & ſoluta, & vincta numeris Oratione mox erant laudes è ſuggeſtu ſanctiſſimi Senis, ac Vatis de more reddituri. Convenerant eò quamplures, & eruditione, & ſanguine viri nobiliores, jamque conſederant cum repente

Perio

Perio accedeti aſſurgunt certatim adnitentes ad ſe attrahere, unuſquiſque ſuum offert ſubſellium. Uſque adeo virtus, & ſapientia hominem illuſtrat, ut vel a nobiliori ametur in bubule, colaturque,) at ille ut erat modeſtiæ ſingularis extremum occupans locum, ſubducto tantiſper ab ordine continuato ſub ſellio in obſequium aliorum conſedit. Veſte quidem,& cultu apparebat ad urbanitatem minus compoſitus, hoc eſt ſemipaganus inter urbanos, Semiſativis, ac Panſilveſter inter numina mitiora, iſpida barba, irſutaque, crine incompolito, ſparſaque incompte cæſarie, recurvo ſupercilio, colore ſubfuſco digitiſque calloſis Silvas omninò referens, mitius agendo Appollinem adhuc intonſum appellaſſes, nec bene pexum,

Digitized by Google

xum, ſuggeſtum aſcendit Orator, & Panegeri linguis faventte verba faciens partes ſuas implet ad ſtuporem. Verum quamvis Orator exarſerit Perium tamen ne leviter quidem afflavit, nec incendii quidem ſcintilla, vel tantillum incaluit; Qui enim Hetruſcus homo lingua, & aure commoveri potuit latino ſermone niſi fortaſſe ad oſcitandum? Oratori Poëta ſuccedit, & quamvis latine hic quoque perſonet, quia tamen numeris alligata, numeroſa cadit Oratio, cæpit illicò commoveri, agitari, circumagi, exilire, qui ſtare loco neſcius aſſidenti amico ad aurem propior factus inſuſurrat, quid hoc rei eſt carmen datur, an claſſicum, an camænis provocamur alternis? & alternatim canẽtium, panegeris excepiſſet
niſi

niſi opportune de ſilentio monens amicus intervertiſſet. Video quoſdam ad hæc auribus & animis arrectis, propemodum victoriam inclamantes audio. Hos eſſè vere Poetas, ab æſtro a natura, a divinitate non ab arte formatos, præceptorum inſcios non carminum. Triumphum tamen canunt ante victoriam. Periùs enim corripitur, entheaq; vi in carmen abripitur, fateor, ſed vi, ac ęſtro naturæ, ut bellator equs ad tubæ ſignum in prælium impetum ſumit, ut Macedonum Alexander rapiebatur ad Arma ut etiam pleriq; noſtrum commovemur in chream, in ſaltus pruriunt pedes, ſi fortè peritus aliquis citharam pulſans incedentibus occurret. Num propterea ars exulat, nec Perium expoliat in Poetam? Quin etiam

tiam Perius idem teſtatur ab arte non exiguum ſe retuliſſe beneficium; fertur enim pronunciaſſe, à natura quidem Poeſim ſuxiſſe cum lacte, comitem ſibi ad vomerem extitiſſe, ſed lalaſſe cum pueris in campo, in Urbe ceciniſſe cum vatibus, in ſilvis paſtoritium carmen edidiſſe, in Academiis ceciniſſe paulo majora, obſtrepuiſſe demum cum anſeribus in lacunis, in Parnaſſo cum oloribus voces edidiſſe ſuaviores, uno verbo Poetam ſe a natura fuiſſe delineatum, ab arte ad elegantiam uſque perductum.

Utinam cum Perio ſenſiſſet Clemens ille Marotus è plebe Gallus, artemque Venuſini vel à limine ſalutaſſet, non luxiſſet Gallia malam avem, cornicemque in Clemente ſibi, & aliis peſſimè infauſtum, *cantaſſet*

Gal-

Digitized by Google

Gallus Gallia non fleviſſet. Concinnabat hic nativo idiomate adeo venuſte cantiunculas, ut niſi editis à Maroto tota uteretur Gallia, quæ non aliis liberas aures libentius exhibebat; quare aura intumeſcens populari cæpit altiora meditari. Homo facultatum omnium expers, ac rudis gallico metro Regii vatis Carmina aggreditur illigare, ſed omine prorſus infelici, nam pluribus intexens erroribus, quam numeris id conſecutus eſt, ut idem eſſet Maroti carmen recitare, ac hæreſim profiteri; nimirum nimium fidens naturæ, œſtroque non didicit ab Horatio ſuis aptam humeris materiem ſeligere, nec quid ferre valeret expendere, ſic dum artem ignoravit ignorari meruit inter artifices, niſi potius ne purior au-

ra, vel alitu nominis inficeretur, meruerit igne purgari.

Memoriam Perii jucundius repetamus, qui licet a natura ſatis ad Poeſim eſſet inſtructus, melior tamen ab arte reddi laboravit. Mirum ergo quantum pendenti quæſtioni, quantum Venuſino faveat dictis ſuis Perius, exemploque, cum eodem judice ars naturam emendet, muſamque perficiat. Quem ergo veſtrum judices pudeat pedibus ejuſdem in ſententiam ire, cum præſertim, & ratio eidem conſonet, & experientia plurimorum? Quod ſi ut veſtra Judices æquitas perſuadet, & eruditio dictis placeat annuere, Decreto peremptorio ſancite, ne Muſæ juniores niſi arte Venuſini bene percepta Parnaſſi vel appendices audeant attingere. Quod ſi mihi ſi cau-

cauſæ, ſi merito conceditis, gratulabor auditoribus meis reſtitutum itineris noſtri Ducem, gratulabor certam ad Pindum viam in arte Poetica aperiri, qua ſecurius queant pervenire ad aſpectum Apollinis, gratulabor Reipublicæ litterariȩ, quod ſobolis copioſioris arte magiſtra in ſpem magnam poſſit aſſurgere, denique mihi gratulabor fructum planè laboris optatiſſimum, & ne umquam memoria excidat Judicii veſtri ad hujus aulȩ poſtes ſtatutis artis, & naturæ ſimulacris hanc ſuſpendam epigraphen Venuſini.

Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat Amice.

Digitized by Google

ARTIS HORATIANÆ

Defenſio ſecunda eodem loci, eademque occaſione.

Habita qua Superior.

QUamquam relata nuper veſtra omnium adnitente benevolentia ſapientiſſimi Patres de Quinti Horatii criminatoribus in præjudicio victoria, dum foro reſtituor, & arenæ, eos mihi ſpiritus in præſenti diſcrimine ſufficere deberet, quibus huc accederem promptus ac alacer, non tam pugnaturus, quam iterum palmam ab hoſte rela-

turus. Non parum tamen ſollicitum habet tum in certa belli alea, judiciique, tum ea quam lapſis hiſce diebus incautior fortaſſe uſus ſum animi, mentiſque ſecuritas. Poſtquam enim (ut ingenue fatear) Hoſtem adeo luculenter dejeceram, ut telis omnibus penè ſpoliatum dimiſerim, futurum mihi perſuaſeram, ut non ultro me laceſſeret, hinc contentionis cura ſolutus ad pacatiora divertens dulciter otiabar, ille verò, ut opinor, ab incuria mea viribus mutuatis, vel à propria temeritate in ſpem erectus fortunæ melioris, repentinus incurrens iterum provocat in certamen, Propterea non ſine perturbatione timoris iterum me pugnæ reſtituo, neque enim tantos augere ſolet ſpiritus anteacta felicitèr pugna,

Digitized by Google

gna, quantos auferre valet improviſa congreſſio; quid quod ſæpe à victoria clades reportatur? ſæpe qui deceſſit inglorius in conflictu pridiano, vindictæ cupidus, & nominis reparandi à caſu redit oculatior, aut à furore robuſtior, ut Romanus in Samnites novo indicto bello ad Caudinas fauces, de victo victor evaſit, aut ſi ſperet inprovidum occupare Victorem, ut Polonus olim cum Tauroſcytas oppreſſit apud Co cimum ubi ſpolia dum colligunt cæſorum, victi ipſi cæſique in ſpolium ceſſere. Cur itaque ad inexpectatum belli ſignum cum Macedone non exalbeſcam? cum Tullio initio dicendi totìs artubus non contremiſcam? ſi res eſſet integra declinarem profecto tantiſper, donec pro milite, momenta ratio-

 tio-

tionum in ordinem diſponerem ac in certamen inſtruerem. Quoniam verò non conceditur belli aleam trahere, nec licet in jus vocato perendinari, non ſpondere, non vadari, & alia ex parte parata nuper nominis gloria ſilere non patitur, ne palmam turpius hoſti concedam ſilendo, quod dicendo fuit comparata glorioſius, vel imparatus congrediar. Nudos etiam bella pavent. Pro aris, & focis pugnabo, cauſæ firmitas, & æquitas veſtra judices vetant de victoria deſperare. Nervis itaque omnibus cauſam iterum ſuſtinebo, videlicet, Poeſis artem ab Horatio ſapienter eſſe conſcriptam; ſi cauſa cadam, mea cadam culpa non cauſæ, non tamen incruentam hoſtis palmam eripiet.

Julius Cæſar Scaliger hoſtium

Digitized by Google

ſtium antcſignanus pugnam, ut video univerſam ſibi unus depoſcit audacior tot modis perſtringit Horatium, tot tela contorquet, tot vulnera intentat, quot vix integra legio haſta, conto, pilo, ſariſſa, ſagittaque niteretur inferre. Favete linguis, cum enim Cæſari tota belli moles incumbat, hoc uno dejecto debellavimus. Artem inquit cum Horatius inſcribit, adeo ſine ulla docet arte, ut Satiram potius totum illud carmen eſſe videatur, quod naturę congruat Satiricæ, quodq; quid vis dicat, ſine proemio, ſine epilogo, modo cum laude, modo cum vituperatione. Audiſtis quot crimina, quã inſueta, quam enormia! Deus immortalis! Artem matronam bene cultam, alienæ culturæ magiſtram ab eruditis honeſtiſſimè

ſemper exceptam, ſolus Venuſinus male palliatam exotica pelle, capite plexam, pedibuſque, tamquam ſine nomine truncum hoſpitii jure violato in publicum projicit proculcandam. Proh ſcælus, imò ſcelerum iliaden! Quid hic dicendi facultas? quamvis Herculis gallici ad Horatii valeat defenſionem, rubore potius ſuffuſa, quam momentis innixa rationum:

Ludis Cæſar, telum vibras hebetatum, cereo, ligneoque mucrone digladiaris, unius verbi veluti parmulæ obiectu innoxium aliò detorquetur, vel in fruſta redigitur. Horatii epigraphen in arte non legis? Non legis artem Epiſtolæ nomen præferre? vel ſi ſpongiam ſenſerit non legis in carmine ſub amici nomine Piſones frequen-

Digitized by Google

ter compellatos? Non meminiſti libertatis inter amicos adhiberi ſolitæ? Dixi ſatis, neque enim quiſquam mihi perſuadeat te virum plane eruditum ſentire cum pedagogis, quì non ſecus ac Orationes Epiſtolas docent exarandas, ſuadentque partes omnes exordii, epilogique complendas, & tandem ſtilo gravi, ampullis dictionum, verbiſque ſequipedalibus, nec non quadrimembri periodo contexendas, qui propterea de Platonis effato monendi ſunt, cum pictore oculum alienis coloribus onerante; Oculum pingis ò bone, Epiſtolam ſcribis, ò Grammatice. Ne verò videar corpore potius telum declinare, quàm vel infringere, vel retundere validius, dum tam leviter eludo, age, ars poetica litterarum de numero expungatur

tur, num propterea vitiosè careat proemio, epilogoque, quaſi cum auctore ſuo capite deſtituatur, aut cerebro? Num ſcriptionis id genus culpa peccet palmari, eo quod adeo ſint hæc partes neceſſariæ, ut nec grammaticus, nec litteratus, nec Orator, nec Poeta, qui eas vel conſulto prætereat ſit habendus. Verùm licet Oratori licet Poetæ, licet litteratis ab ipſis cauſæ viſceribus exordiri, aut, ut ajunt, incipere, vel finire ex abrupto, præſertim ubi nec benevolentia captanda, nec per Oratorem diſperſa ſunt colligenda momenta rationum. Verum hæc miſſa facientes, quibus hoſtem quem feriat Cæſar ſibi confingere videtur, ad crimen capitale deſcendamus. Quod vis dici ſatira naturæ congruentius ait, quia modo
cum
Digitized by Google

cum laude, modo dicit cum vituperatione.

Gratuler ne hic ego Satirici perſonam Venuſino, an Cæſaris cenſuram verius derideam? Perſona quidem impoſita lyriſtæ facile detrahitur, ſi negetur, laudare ſimul, ac vituperare Satiram conſtituere. Tu verò Scaliger, quot mordes, quot verberas cenſoria hac tua virgula? Si inter Satiricos enumeres quot quot cum laude modo, modo cum vituperatione perorant Oratores, quot præſtantiſſimos Poetas è Parnaſſo inter Caucaſi Silvas, ac ſaxa Satiros amandas, quot è peripato tranſferes ad tabernulas philoſophãtes? Virgilius Turnum exornans bellatorem egregium Drãcem ſugillat cervo timidiorem; Terſitem perſtringit Homerus dum extollit Vliſſem; Stagirita vir-

virtutem non definit, quin obliquè vitium reprehendat, quin imo,ſi Deo placet, eſt hoc nec parcere probitatis ac morum oraculis, qui honeſtatis leges nequidquam ſanciunt, quin felle conſpergant improbitatem, virtutum ſemina non jaciunt, quin ſatagant germina mala vitiorum convellere.

Pergit adhuc noſter Cinicus dētes ferro duriores exacuens, ordinem quærere in arte Venuſini, doletque huc atque illuc errabundam ſus deque vagari, ſępiuſque cum diſpendio temporis, atque ingeniorum eòdem redire inutilitèr, ac ſi in convivio ſapientum non ſine ſtomaco convivantium crambem recoctam velit apponere. Maligne ſatis omninò cum taceat Poetam eòdem ſæpe relabi, ut nova ſemper inducat artis or-

ornamenta, inſtar Vrſæ, quæ molem ſuam, iterum atque, iterum relambit, donec in Urſum euadat. Quænam verò ars illa eſt, quæ ut expoliat elegantius opus artis inſtrumento eòdem ſæpius non redeat? Pingendi peritus quoties eidem corporis parti admovet pennicillum. An à Tabula manum revocat antequam emolliat duriora, emendet peccantia, languentia coloribus animet, decoret argutiolis, ſupremam denique manum imponat? Quod igitur in tela Pictor, hoc in arte præſtitit Venuſinus, & geminatis eadem ſuper re documentis Poetas edocet partus ingenii limare, polire, exornare. Nec immeritò, quando prima operis delineatio nequeat ſecum ducere totam elegantiam. Perinde quilibet operoſæ artis

Ma-

Digitized by Google

Magiſter, licèt rei compræhenſione fęlix à rudioribus exorditur, ut paulatim ad altiora progrediatur,ſive alios inſtruat in arte, ſive opus artis exerceat ſuæ. Quemadmodum ergo vel artium periti à facilioribus ad difficiliora progrediuntur, cur hanc metodum Horatius non ęmuletur? cur hanc legem ſequtus ſine arte, ſine ordine artem inſtituerit eòdemque inani ſtudio redierit? Ad amuſſim porro eam Horatium ſervaſſe, carmen conſiderantibus dubitare non licet: planius, quoque id faciam, ſi per veſtram humanitatem liceat, quod nuper mihi contigerit enarrare.

Cum Horatii volumine, quod comitem adhibere mihi mos eſt cum ſolus incedo diebus elapſis ad domeſticam Statuarii officinam acceſſi, Homi-

nem-

Digitized by Google

nemque plane ſcitulum, Siculumque artis egregiè peritum offendi Statuæ ſimilem, Saxo imminentem grandiori, nempe marmori rudiori, quale lapidicina dimiſerat ibi fronte caperata, animoque cunctabundo graviores curas mente concoquere demonſtrabat,& quidem cogitatione verſabat quo pacto rupem illam mente bene comprænenſam aptius diſtribueret in partes ejus operis, quod animo longiori meditatione conceperat. Hæſit aliquantulum; tum tranſmiſſurus ad manum opus cogitatione conceptum e theca circinũ extrahit, & regulam cum bacillis igni ſubreptis. Ut adverti quid magni molientem, cupido inceſſit præſtolandi quem nàm deduceret ex impolito lapide Mercurium. Ergo qua marmor frontem explica-
bat-

bat ampliorem carbone cæpit conſcribillare, lineiſque circũcidere. Videbar mihi Apellem videre, qui ut procaciorem ephębum, à quo Ægyptio in littore male fuerat acceptus, pingendo Regi denunciaret, cum lingua non poſſet, adoleſcentem ea delineavit peritia, ut carbone uſus pro lingua clarius umbris expreſſerit, quam ſi proprio nomine indicaſſet. Haud aliter Siculus artifex in ſuprema parte lapidis hominis caput adumbrat, ut nigro de crine, oculoque mox licuit arguere, capiti tholum imponit breviorem, ſuſpicabar pileolum ex his, quos nuper ad nos Gallia traſmiſerat, ad riſus magis inſpectantium factos, quàm ad capitis geſtantium, vel tutelam, vel ornamentum. Scimus nempe pictoribus, adeoque

Scul-

Digitized by Google

Sculptoribus (Cum alter ſcalpro pingat, alter ſculpat penicillo) quidlibet audendi ſemper æquam fuiſſe poteſtatem, ſed triplicem circumducens lineolam Orbi, pluſquam cydarim Perſicam, aut gallicum galericulum coniicio machinari. In latus dexterum manu mox translata ductu lacertoſo protenſoque brachium attollit, dextera nec complicata penitus, nec penitus explicata, cum digitos partim porrigeret, partim inclinaret, deinde converſus in lævum ab humeris ad talos lineamento profuſo velamẽ demittit, quod in nodum collectum genibus imponit læva ſuſtinendum, lacinia tamen ejuſdem, non ita pedes occulit quin exerenti ſe dextero locum prębeat. At ubi marmor in arctum colligitur inſidentis viri ſpeciẽ ad-

Digitized by Google

adumbrat, ductum eo artificio circumflectens, ut humero exurgens ejuſdem materiæ cęlet anguſtias, ubi vero magis explicatur exerit caput volucrum Regina, quæ aliis expanſis velut in ſubſellium inſidentem ſufful-cit gaudens, ac ſi ęquitantem, placideque fulminantem devehat Jovem. Poſtremo ſub utroque pede pro ſubpedaneo ſcamno, ac veluti operis in limine lineis omninò tortuoſis cuſtodem collocat, vigilemque Draconem. Immotus hęrebam veluti per fumum ac nebulam nigra in imagine artificis ingenium aſſecuturus ſimulque à Statuarii magiſterio cogitatione traſcendens per Poeſis artificium referebar ad Venuſinum, & parum abfuit, quin inter pares induſtrias cum Archimede inter aquas degenti Evurica ex-
cla-

clamarim, adeo dilucide Poetæ ſtilum in ſcalpro, in ſaxo Poematis materiem ejuſdem partes in delineatione in poſitione membrorum, rerum collocationem animadverti, & ut paucis concludam, artem in arte, Poetam in Statuario prorſus venerabar.

Hærentem itaque in tam jucunda comparatione ſtuporem inter ac lætitiam intuitus feſtivus malleator, quid hic adſtas, inquit, immotus, num novum marmor adfers ad officinam, non tam carbone delineandum, quàm metiendum, hac decempeda, hoc ſcalpro deglubendum hoc tundendum malleo? num potius ut hic tuus admonet libellus Poeticum provocas in certamen? Si hoc animo ſedet, provocationem admittam hac lege, ut poetam, & carmen hoc pe-

Digitized by Google

pede ligneo metiamur. Cui ego victoriæ ſecurus, potes decertare, nam verſus edis maximè ſonoros, & quia lapideos, in ævum duraturos, quibus cogis auditores in admirationem, an in ſtuporem abire? dum tundens, atque retundens malleo non tam marmor, quam tinnitu audientium caput infringis, an in ſtupiditatem? ſerio tamen edico in hoc tuo muſęo, me non parum profeciſſe, quare propemodum te meum Apollinem ſalutavi, licet enim vocalior inſones, mihi tamen par canis Horatio, dum cum arte poetica, & cum Horatio Statuariæ præceptis de artificio contendas. Huc uſque luſimus amicè, jam extra jocum longo poſt liminio ad argumentum revertor, à prima lapidis delineatione ad extremam ſaxi politu-

Digitized by Google

lituram me ſpectatorem ne an auditorem eadem officina recepit. Horatii pariter diſcipulum, ac Statuarii, quantum enim unius inſit in altero, carmine ab uno addiſcite.

Sumite materiam veſtris, qui
ſcribitis aptam
Viribus, & verſate diu quid ferre recnſent
Quid valeant humeri, cui lecta
potenter erit res
Non facundia deſeret hunc, nec
lucidus ordo.

Quæ dum recito nonnè redit ſub oculos imminens lapidi Statuarius, ut initio narrationis expoſui? Dum quid ferre marmor poſſet, quid valeret admittere animo complecteretur, dum rude coloraret in marmore Simulacrum, dum carbone tribueret in partes? Quia verò potenter lecta res fue-

fuerat, ut advertere potuiſtis, non defuere rerum fęcunditas, & lucidus ordo, nec vereri potuiſtis, an ad votum operis delineatio reſponderit. Itaque ut Horatio cæpit artifex noſter, ità opus cum eodem ſcitè abſolvit, licèt iterum, atque iterum manus ad caput recurrerit, modo enim quaſi ſquamis expoliauit, inde ſcalpro minori veluti pectine barbam, crinemque diſcriminavit, modo vix natum præcipitavit in ſenectam inducta propere canitie, mox ut paucis concludam, mortuo de lapide grandęvum ſenem traxit ad vitam, ſanguinem venis infudit, & colorem penè ſparſit in genas, lucem accendit in oculis, vocem penè dixerim formavit in labris, paludamento induit, imbuit majeſtate perſonam, nec dimiſit

opus

Digitized by Google

opus donec Simulacrum elegā-
tiam ſumpſerit integerrimam.
Et hic ille eſt ter Maximus Pōti-
fex Gregorius Boncompagnus,
hic ille de marmore Pontifex
elegantiſſimus, & meridiana
pluſquam luce digniſſimus, niſi
ſua ſibi luce meridiem accende-
ret clariorem, hic ille, quem
quotidie in atrii receſſu, veſti-
buloque Collegii hujus adora-
mus, qui id loci ſibi quæſiv?t,
in ingreſſuris primus occurre-
ret, qui Muſarum cultoribus,
ut ingrederentur has ædes pri-
mus aperuit, hic ille triplicis
Thiaræ dignitate Supremus,
qui ſublata dextera benè pre-
cantis in morem, exemplo ſno
jubet nos inhęrere Lyriſtę prę-
ceptis, ut quicunque cupit
queat à Muſarum tyrone, ru-
dique marmore, in exculptum,
ac ſpirans tɪɐnſire Simulacrum
N Apol-

Apollinis, & ſi liceat dicere in maximum Parnaſſi Pontificem, ut enim Statuarius marmor erudivit in Præſulem, ità ab Horatio arte ſua, vel lapidoſum ingenium eruditur in Poetam. Quamobrem dum ille Gregorius ſtabit in præſentì controverſia cõtra Scaligerum ſtabit pro Venuſino; Quo Patrono apud humaniſſimos Judices ſatis peroratum puto, jamque vos pro ęquitate veſtra manibus, pedibuſque ejus in ſententiam abire cõſpicio, quare ſi libet, pro me certè licebit, toto quoque corpore abitote.

Digitized by Google

JUSTITIUM LITTERARUM,

Sive Majorum indictio vacationum.

Habita Romæ in Claſſæ Rhetoricæ Anno 1648.

QUI elabente Auguſti menſe ordinario Conſuli, Conſul ſuffectus veſtram Rhetores Rempublicam non ſine ingenti ſollicitudine Septembri menſe ne quid detrimenti caperet adminiſtravi eo elabente, antequam dimittam faſces ad me devolutos de more convocare debui poſtremam hanc ordinis veſtri concionem, & præmiſſo, ut præmitto, jure re jurando ſanctè profiteri, me in hoc magiſtratu contra leges

nihil egiſſe, & quantum rationo providere potui, ſaltem ex animi ſententia nihil deliquiſſe, nè verò delinquam in fine, quando plerumque ad conſulem ſpectat ferias imperare, vel ſtativæ illæ ſint, vel conceptivę, feſtivæ, vel luctuoſæ, edico menſe Octobri appetente feriandum eſſe, idque ex antiquiſſimo Senatus Conſulto, non Minerva, non Appolline refragante, longoque Sæculorum uſu corroborante. Et quidem Feriæ ſunt luctuoſæ, nam celebrandum eſt Juſtitium Litterarum, proindè die craſtini forum hoc, hoc eloquentiæ Tribunal, hoc Ærarium Sapientia clauſum eſto, ſilebunt jura, liceea, muſæ, roſtra ſilebunt dies current nefaſti, vos quirites cavete ne Flamines literario vos deprehendant in opere, ni velitis

litis gravi pœna, aut ære multari. Quid hoc rei eſt, lacrymas indico, mærorem luctum, & hilari, ut numquam vultu auditores excipiunt, ut juvenes, & muſarum alumni feſtivè ſubſtulant? Non ſic noctuę, avicularum Reguli, Rubeculę, Trochili, Paſſares, Triglidite non ſic illudunt utinam hi parietes equè alacres prima die auditores excepiſſent ut vident hac poſtrema? Profeſto cultiores dimitterent, quam admiſerint rudiores. Quid quæſo vos ſolvit in riſum? An fortaſſe libentius cum ruſticis Vacunæ litatis poſt uberes meſſes, ac vindemias, quam poſt ſudores eruditos Appollini? At hoc dedecet ſanè cives literariæ amantes Reipublicæ. An ego non Romanè, ſed barbare pronunciavi Juſtiiium indicens? At Li-

vius hiſtoricus, Tullius Orator vocem hanc uſurparunt. An vocis ſignificatio vos latet? At ex Plutarco noſſe debuiſtis juris dicundi ſuſpenſionem, intermiſſionem cauſarum, & litium ſignari, & ex Lucano ſcire per Juſtitium fora claudi, tolli Tribunalia, quare putare non debetis à Juſtitio vobis cõcedi facultatem evagandi, aut otiandi, ſed lugendi, dolendiq; Dolendum inquam vobis eſt non otiandum, non indicendi Juſtitii cauſa ſemper fuit, ut noſtis ab Alexandro Populis conſternatio vel à clade legionum, vel ab acceſſu ad Portas Annibalis, vel Gallorum ad Capitolium. Non diverſa indictũ cauſa Juſtitium litterarium ſuſpicari potuiſtis, ſed quando eam ignoratis, audite. Narrationem aggrediar fortaſſe mole-

leſtiorem, non omninò tamen inutilem, vulnus quidem male obductum emarginando, ſed, ut opinor, valetudinem afferam firmiorem.

Mæcenas atavis Regibus oriundus, eques Romanus, natus ab Etruria nobilis vir in paucis fuit, Cæſaris Auguſti gratia adhuc nobilior, maximè verò laudandus ob amorem, ac liberalitatem in Poetas. Hic ut ampliſſimè habitabat in Exquiliis, ita vaſtiſſimos ibidem hortos poſſidebat, omni deliciarum genere à cultura refertos, partem obumbrat fagus alta, vaſta Platanus, Quercus annoſa, antiquum robur, quò æſtivis, ſiriiſque coloribus maximè urgentibus commodè vel in meridie quis poſſet ſpatiari, Sole fruſtra prorſus æſtuante pars alia nutriębat Plantarum deli-

cias, quę quolibet anni tempore ſua, vel non ſua Poma, ferentes autumnum vel in Decembrem protrahebant. In alia parte flores ver perpetuum explicabant: nam grata ſibi vice ſuccedentes annum integrè coronabant. Aderat fontium perennitas, & aquarum copia grato murmure bellè cadentium, quæ præterea Flores, & Fructus opportunè lactabant, undè nil mirum, quod inter brumæ frigora rigidioris lætiores arriderent. Aderant præterea opere topiario emiſſa ferarum agmina, volucrumque, aderant pergulæ ſequacibus arborum ramis concameratæ, ſedilia ſplendidè marmorata, pulvinaria muſco molliora, emicycli, xiſtique levioribus inſtrati lapidibus, vel herbis conveſtiti virentibus: mitto Conclavia in

Ar-

arcum ducta, cubilia longo ordine diſpoſita, Porticus forniεatas, cenationes, gymnaſia, balinea, qua frigentibus, quà tepentibus aquis undãtia (nàm ex Dione primus Męcenas uſus eſt calidis) Mitto Turres præſertim illam, in quam trabeatus uſtor, citharedus importunus Nero ſe recepit dùm Urbs face admota incendio conflagraret. Quid plura, Domus, Horti, Suppellex, omnia tandem digna erant Mæcenate, hoc eſt Domino in omnes effuſo delicias. Hos hortos qui Ciſpium verticem, Oppiumq; complectebantur bicapitem verterat in Parnaſſum, feceratque Sacrum Muſis hoſpitium, quò latiales Muſæ identidem ibidem poeſis ſpecimen præbiturę cõvenirent, quas etiam multo auro fovebat ad cantus. Ibi cor-

pus jucundè fallebant, cantuq; Dominum recreabant. Huc ſexto Kal. Octobris anno ante partam à Virgine mundo ſalutem octavo, Poetæ de more convenerant, ut erudita exercitatione, otioque Sapienti levarentur à moleſtis ardoris æſtivi reliquiis. Illic diſpoſitis in ſubſelliis non alio quam quo venerant ordine conſedere prẹter paucos, qui Mæcenati cariores ejuſdem lateri adhẹrebant. In hoc erudito conventu Mæcenas ingreſſus cunctis altior eminebat, non tam ut ædium Dominus, quam ut Princeps Academiæ. Apparebat ille ultra conſuetudinem ornatior, delicatiorque, compta cirris cẹſarie, breviori ciclade ac undulata, annuloque ſpectabili, in quo gentilitia Rana coaxare ſonantius videbatur, quamvis

ame-

amethiſtina. Siniſtrum latus occupabat Horatius, qui rariſſimè ab eo diſcedebat non tàm Poeſis amęnitate gratiſſimus, quàm grata conſuetudinis urbanitate quæſitus. Dexterum latus tenebat Gallus, ut enim ſingulariter ambatur à Virgilio; quod veniret in ſpem magnam Parnaſſi, ità his diebus abſente Marone, qui per hos dies longam in Græciam, ſive magnam, ſive parvam ſuſceperat peregrinationem locum occupabat, Gallo Varus hærebat. Hic Lucius ille Varus eſt, cui mandavit Auguſtus accuratam Æneidis relectionem, ea lege, ne quid Virgilii demeret, adderet ſui. Adverſus viſebatur Batillus. Maroniana cornicula, qui ut ad Auguſti gratiam, & præmium evolaret, pennis à natura negatis uſurus Virgilia-

 num

num illud arrogaverat ſibi: Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane. Auguſto tamen, & conſciis rei riſum dedit, cum emiſtichia à Marone propoſita. Sic vos non vobis, deplume ingenium ſapiendo tam altè volitare nequiit, ut addita cum ſuis numeris penthemimeri abſolveret; unde Virgilio qui ea cõplevit, pennas, & gloriam coactus eſt vel invitus reſtituere. proximè ſuccedebat Valgius ſpes altera Romæ, Muſarumq; indoles generoſa; ſequebatur è regione Tucca curator alter Æneidos ab Auguſto conſtitutus. His accedebant promiſcuè Poetæ cæteri boni, malique, qui eo die frequentiores aderãt, vel quia Marone tamquam Sole remoto, Sydera minora aliquantiſper affulgere ſperabant, vel quia eodem præſente de ge-

nere

nere veſpertilionum lucem nõ ferentium prodire non audebant, quare Filiſtus intererat, qui vulgo Virgiliomaſtix ferebatur, quod Maronem ubique jure, vel injuria vellicaret, Cornificius, qui Maronis ęmulatione inſana tumeſcens, Æſopica pluſquam Rana fruſtra rumpebatur infelix. Naſo qui non dum quartum ætatis luſtrum egreſſus egregiam ſe Muſam promittebat Propertius ſi minus Muſa; moribuſque, domo ſaltem Virgilio coujunctus, cum ambo degerent in Exquiliis Anſer quoque, qui nominis omen implens concinendo moleſtè peſtrepebat ſuffenus, ut dixit non nemo Poeta natus quarta luna, Mevius quoque ſemipalliatus, qui latere cum vellet non poterat, adeo gravem inhalabat odorem, ut Venuſinum naris

emun-

emunctioris cogeret vultum avertere, qua occaſione intuens Bavium pari palliolo involutum, antiquum carmen recitavit, qui Bavium non odit, amet tua Carmina Mevi. Quibus omnibus cõſidentibus Mæcenas ſic exorſus dicitur. Quandoquidem per humanitatem veſtram tam erudito Senatui dignitate me præire voluiſtis, licèt meritò longè minorem recitatione pariter præibo. Queror amiciſſimi Poetæ Virgilii importunum ab Urbe diſceſsũ. Quis enim ægrè non ferat tanti viri abſentiam? Si fluat vena languidior, in ea quiſque animi mei poterit languorem relegere, qui vigere nequaquam poteſt vigiliarum diuturnitate confractus. Ne verò lectitando Somnum conciliem audientibus, quem mihi indignatum

ex-

experior, pauca recitabo, cætera volentium oculis exhibebo, longior enim vigilia paſſa non eſt me breviorem eſſe ſcribendo.

Amabilis Poeta
Latiique Muſa Pindi
Quo te rapit volentem
Effrena Mens videndi
Adriæ Sinus, procellas
Fluctuſque murmurantes
Aut Ennii, aut Pacuvii
Cineres, Lares, penates
Portuſque brunduſinos.

Tacuit Mæcenas in dicto mollior, ne moribus an metro prorſus ignoro, metri certè dulcedine ſibi nomen acquiſivit Anacreontis Latini; Tacuit alienæ periculum defatigationis evitans, vel ex innatâ veriùs modeſtia? quarum tam ſibi, quàm aliis à Carminis longitudine timeret. Et ne aliorum vo-

vota, preceſque homini verecundo roborem injicerent, aſſurgens Horatius. Et ego, inquit de valitudine cariſſimi capitis valdè ſollicitus iter facienti propitium invoco Calliopes numen, & Appollinis.

Sic te numen Appollinis
Suorum placidus ſic Chorus ambiat
Parnaſi Venerem, & Suum
Servās incolumen Calliope decus
Reddat finibus auſonis.

Sed quoniam cantu ſimili peregrinantem aliàs ſum proſecutus, ne repetito veluti ferculo moveam ſtomachum delicatioribus, libens ab ulteriori recitatione ſuperſedeo. Gallus hic monitus à Venuſini ſilentio Brevi poemate Auguſto dolorem univerſi Cœtus, quem ex intempeſtiva Vatis peregrinatione conceperat ſic exponit

Tem-

Temporibus lætis triſtamur maximè Cæſar.

Vix ea cum proſecuturo vocem ademit anxius irrumpens in Senatum nuncius ad mærorem compoſitus, afferens ab Auguſto Mæcenati tabellas, quas reddere nulla interpoſita mora feſtinabat Tabellarii ſollicitudo tabellæ cera vergens in atram omen malum inſpectantibus ingeſſere, quare intentis oculis in Mæcenatem præſagium certius ex oris variatione capturi, ſuſpenſi pendebant, & veluti impatientes: ſi quid turbæ, luctuoſique afferetur audituri præſtolabantur. Erat jam oculo in ultima cera Mæcenas, cum repente tamquam è Cœlo tactus hæſit exterritus, mox inclamãs. Proh, inquit, fata! proh funeſtum acerbumque huic noſtro conceſ-

ſeſ-

ſeſſui Reipublicæ literariæ, ac Parnaſſo infortunium, dùm hic ludimus ingeniis in Virgilii diſceſſum, feriò nimis alibi res peragitur, Virgilium dolemus abſentem, ſed ille iter aggreſſus Brunduſium fato concedens via producta non tam ad fines terræ, quam vitæ ultro perrexit ad manes, Auguſtum audite Mæcenas mel gentium, Medulla, & ebur ex Etruria, Adamas ſupernas, Laſer Aretinus, Tiberinum Margaritum, Smaragde Cyneorum, Jaſpis figulorum, Berille Porſennæ, ſi me amas cura valitudinem tuam, nec auctos velis dolores meos. Si quid lugubris in his leges, aut inexpectati, nec te ultra modum mæſtitiæ tradas, unius cari capitis jactura ſatis ſuperque me vexat, ne igitur in valetudine tua dolorem addas

Digitized by Google

das dolenti cave precor. Virgilius noſter dum per Marſos, Appulos, Calabroſq; Brunduſium tendit tranſmiſſurus in Greciam, malè acceptus ſolis ardoribus, igne intra venas concepto decubuit, & brevi diem clauſit extremum. Idibus Septembris, ſi me amas, vale.

Ad Nuncium planè inexpectatum ingemuere omnes, nam virtus quæ viventi non raro parit invidiam extincto ſemper venerationem conciliat. Dolore ſæviente aliquando ſilvere, nec mutire quiſquam auſus eſt donec remiſſo dolore Mæcenas fandi principium dedit; Quando, inquit, jactura ingens, nec longo luctu poteſt reparari, quod ſolatii reſtat, tanto viro extremis officiis pro dignitate parentemus, eruditos Cineres inglorios jacere non decet ejus

præ-

præſertim , qui tantam Urbi gloriam peperiſſe compertum eſt. Veſtrum igitur ſententias rogo , quas rogo ut quiſque ſincerè pronunciet, exponens, quid memoriæ futurum ſit maronianæ glorioſius. Tu Flacce, qui Muſæ ſublimitate Virgilio proximus accedis , quique illi amoris nexu vixiſti coniunctior primus effare. Tum Horatius. Quoniam in dies tua in me cumulas honoribus beneficia, nutibus, ut par eſt, pronior obtempero, quid ſentiam candidè proponens ; ſi quid proferam minus aptè, non voluntati , ſed vitio vertatur ingenio , tu verò diſces in poſterum vel minora de me ſperare , vel quod mihi à Natura negatur propria benignitate ſupplelere. Igitur pro Poeta , quem ſingulari Deorum, munere noſtra

ſtra tulit hæc ętas, quo Latini Græcis Homerum in poſterum non invideant, ad meriti menſuram monumentum extruerem, & quidem hoc ipſo ſub Cœlo, neque enim hinc diſcedendum puto ubi laurus viret ad perennandas Poetæ coronas; ubi lugebit, aſſiduè luctus noſtros Regio ſanguine proſeminata Cipariſſus, cinnamomum, & balſamum ſtruem dabunt odoram pro pira, ubi ſepulcrales Orphei volucres Olorum Principi dolentius canent ubi ſepulcrales Cineres Poeticam germinabunt in Meſſem quod ſi tamquam Princeps Poetarum parem Principi tumulum ambiat in Montibus ac Parnaſſo ſatis hic eriguntur in ſublime Ciſpius, oppiuſque, ſi cum Vate Paleſtino hortos legat in Urnam, num hortum repe-

periat Maro cultiorem ? Hic tandem locus placet, tuæ poſtmodum largitati permittam, & amori ſuperbiorem tumuli mo lem inſtruere Reges (Gallus excepit) auro decentius, & gemmis, quam fronde corones, quam flore, itaque ſi Virgilius habendus eſt Parnaſſi Princeps, quidni obſequium viri præter ea quæ ameniſſima hæc Regio ſuppeditat auro quoque locupletetur, & gemmis. Memoriæ occurrat Semiramis, quæ Aulam eamdem in Urnam conſtituit, & Ærarium, Regis nempe, ac teſauri conditorium, illuſtri documento mortalibus relicto, bonos Reges, Regni eſſe Theſauros, Regias opes eſſe quoq; mortales. Quanto magis aurea ſuppellex Virgilii cineres doceat, qui etiam de ſuo dives eſt? Quando tot gemmas, quot ver-

verba profudit, in Æneide verò celavit teſaurum ſapientiæ, atque adeo in fronte voluminis tamquam in lapide ſepulchrali poſſis inſculpere tritum illud: Quantum quis velit hinc effodito. Propterea oſſuarium illi pretioſum vellem ab opulentia ſimul, & ornamento. Ego verò Galle, Battillus excepit, ſi canendi ſuavitatem poſteritati placet commendare, ab Apibus tuis non recederem, quæ mellis artificio non inornatum ſpondent loculamentũ in quo Maronis memoria vivat, ut ipſe vives in Ariſteo. Audio Babilonios, ut illuſtrius humarentur ſolitos fuiſſe melle condiri. Apes præterea ingenium repræſentant maximè artificioſum, mel verò poeſis inſuetam ſuavitatem.

Apage hinc, Varus excepit,

mili-

militari licentia , apage ceratum magis caput, quàm melleum: ſi formam ſepulcri ab operibus Poetæ placet aſſumere, an non ſonantius ſtrepit Maronis tuba, quàm avena? Quando ergo tàm ſuperbè cecinit arma, virumque Heroibus ęquetur, & inter Proceres bellatorum cum Achille tumuletur in littore, ſic latius terra, mariq; nomen reſonabit. Certè utriquè par funus obtigit, cum utrumque vulnerarit Apollo, licet alterum ex ære ſagittis, alterius ignitis radiorum cuſpidibus, pedem ſauciarit alterius, alterius verò caput, alterius dejecerit dum Trojam expugnaret, alterum dum canendo ab oblivione propugnaret. Quod ſi Roma eligatur ad tumulum eo quod Romæ exornaverit conditores, in velia mandandus

Digitized by Google

dus erit Terræ cum Publicula, aut in foro cum Fabricio aut cum cæteris Triumphatoribus in Capitolio.

Verum cum deliberatio paulatim vergeret & in contentionem non brevi ceſſuram, ſi unicuiq; locus daretur ſententiam ad arbitrium dicendi, Poetę qui ſupererant Tucca, Valgius, cæteriq; Provinciam integram Mæcenati demandarunt, quippe cui nec ingenium ad inveniendum, nec opes, aut amor deerăt, aut opibus liberalitas, & copia aut ad exornandum magnificentia. Votis annuit omnium Mæcenas laudatiſq; ſententiis in hanc formam decrevit. Equidem

Non tumulum curo, ſepelit natura relictos.

Et Cælo ſplendidius tegitur qui non habet Urnam. Mihi ergo ſe-

O pul-

pulchri cura minor erit, quamvis ea quoque non parvo ſtabit, major erit æternitatem nomini procurare, quantavis enim elegantia, ſumptuque operoſa moles erigatur in tumulum, à communi hominum ſorte, quin imò ferarum quoque non ſecernet, num Feles protracto nomine fælices reputemus, quod illos Ægyptii condebant inter aromata? aut Equos, quod cælata ex ære vel marmore ſortiti ſunt oſſuaria, à Xantippo Ciroque Piramides ab Agrigentinis, aut Bucefalum Cillarumque ab Alexandro, aliiſque à Regibus Civitates? Facilis itaque jactura ſepulcri eſt, quare Maronianis manibus gratius futurum opinor; ſi ejuſdem nominis æternitati ſtudeamus. Placet igitur leges hujuſmodi ſancire.

Pri-

Primò; ut ex hac Republica literarum deſtinetur aliquis, qui canendo, vel ęmulatione vel imitatione veſtigia premat Virgiliana, ſic futurum eſt, ut quaſi novus Phęnix ſuis è cineribus identidem renaſcendo indeficiens perſeveret.

Secundò, ut è numero pariter Eruditorum imponatur alicui monumenta Maronis poſteritati relicta accurata illuſtrare commentatione, ea notando, quæ ad aliorum ſpectant inſtitutionem, ac eruditionem, ad elegantiam locutionis, venuſtatem fabularum, ad pondus Doctrinæ profundioris.

Tertiò, quod ratum, ſanctumque volo, ac inviolabile per omnes ætates decerno, ut October totus quot annis in Officiis extremis perſolvendis

Poetæ decurrat, totumque juſtitium impleat literarium, eo quod noſtra hęc Reſpublica hoc menſe tam gravi vulnere ingemiſcat afflicta.

Nè verò hujuſmodi ſanctionum excidat umquam recordatio inſculptæ cippo mamoreo ad fores hujus Academiæ, perpetuo vigilabunt. His abſolutis omnium favore, ac plauſu de Mæcenatis arbitrio conventus dimiſſus eſt, atque aliò Poetæ demigrarunt. Interim tamen, ut citius ſanctiones mandarentur executioni paucos intra dies inſculptæ cippo leges ante fores collocantur. Eligitur Æneidos interpres, & ſedulus imitator, quare ad hanc uſque diem, nec defuit qui carmina commentaretur, ut opus egregium nuperrime editum à Ludovico della Cerda teſtatur, nec

qui

qui ad normam Virgilii concineret, ut præter Sanazarium poſtremo fidem facit carmen Pulcherelli. Juſtitium, demum nunc quoque vigere, vos ipſi Juvenes intelligitis, cum à me tam ſevere ſit indictum, & à prædeceſſoribus exacte ſervatum. Non dum quidem ſplendidior cineribus datus eſt tumulus, jacentque propemodum inculti ſecundo lapide ab Urbe Neapolis Miſenum inter, & Cajetam, non quidem vitio Mecenatis, ſed veneratione, qua Maronem proſecutus eſt; poſitus enim Poeta in confinio vitæ, id unum habuit in votis, nempe eo loci tumulari, tumulumque hoc inſcribi cęnotaphio.

Mantua me genuit, Calabri
rapuere, tenet nunc

Partenope, cecini paſcua, rura Duces
Quare nihil placuit immutari.

En Juvenes ornatiſſimi ad caput uſque circumducta narratio, en origo Juſtitii, & ut paucis concludam luctus veſtri, quem paulo ante riſiſtis, num ridebitis in poſterum? num avidius Kal. Octobris expectabitis, quæ tam triſtem nactæ ſunt cauſam à muſis vacandi? Num exultabitis lacrymas inter, & univerſæ Reipublicæ ſuſpiria? Animo geſtietis dum eunt in fletus, & ſingultus Auguſtus, Mæcenas, Venuſinus, Varus, Tucca, Valgius, Gallus? Sapite ſaltem ſero cum Phryge, & extincti Poetarum Principis memoriæ riſu repreſſo lacrymas date. Iterum effuſiori cachinno ridetis? An fortaſſe ſuſpicamini

mini

Digitized by Google

mini non Hiſtoriam attuliſſe me, ſed fabulam ? Mihi credite, verior ſum quam Lucianus in libris verarum hiſtoriarum, ſincerior contexta eſt narratio, quam quælibet ejuſdem auctoris, ſi menti adhuc inhęret ſuſpicio, quæ me fabulantem adumbret, ut à juramento volens abſtineo ne verbo meo ac nomini ſim injuriùs, aut ni in ſuſpicionem mendacis incurram, ità teſtem adduco locupletiſſimum cippum illum marmoreum ad fores Academiæ locatum : ſtetit ille quidem donec Roma vetus ſuperſtes fuit, at multiplices inter ejuſdem ruinas diu ſepultus jacuit; nuperrimè verò cum antiquitatis ruderibus, altè refoſſus in jiſdem hortis Mæcenatis inter Virgilii ac Propertii domos, à multis, dùm tranſirent per exquilias, vi-

ſus eſt literatus, egeſtam inter unum circa templum Liberianum, vos ſi libet vobis met teſtes oculati eſſe poteſtis, ite alacres, ſed cavete ne fortaſſe caſu aliquo premat humum facies literata, ut ergo veritatem aſſequamini non ſemel ac iterum, ſed ſæpius, ac ſæpius lapides ſingulos accuratè revolvite, donèc (ne ſecus fruſtra cum Siſiſo deſudetis) eo invento veriſſima hujus narrationis certiores evadatis.

Digitized by Google

IN PHILOSOPHIA PROFICERE,

Qui plures audiat Profeſſores.

Proluſio habita Firmi anno 1640.

TERTIVM prodire in eodem curriculo triennalis Philoſophiæ profeſſorem (jubeor enim NN. e Parnaſſo in Peripatum tranſmigrare, vices impleturus duorum Prædeceſſorum; quorum alterum Romana Pallas Doctorem ſibi delegit, & gratulamur impensè, alterum aeris inclementia crebris hujus anni funeribus involuit; & acerbe dolemus) tertium, inquam Pro-

Digitized by Google

feſſorem prodire fortaſſe ridebit Sciolus aliquis, & argutulus dicet: Philoſophiam in Poeſim degenerare, quando ſe dat in ſcęnam, aut trifauci cum Cerbero, aut cum Gerione tricorpori, niſi potius divinitatem affectet, ſpirantemque ſibi tripodem inſtruat, quo non opiniones, ſed certiora reddat Oracula doctrinarum, caveat illa ne ſibi pejora canat dum alios meliora tentat edocere. Si florum audiat nullo unquam bono more, aut ſpe triumviratus in Rempublicam irrepſit, num omine fæliciori Philoſophia intrà triennium à Rege properet ad Conſules, à Conſulibus ad Triumviros? Veteres, quidem unius libri Lectorem commendarunt, & in Lectore pariter commendarunt unius inſtitutionem Præceptoris, quando vo-

volumen Præceptor eſt elinguis ac mutus; Præceptor verò volumen eſt loquax ac vocale, quin etiam adeo amavit antiquitas unum Præceptorem, ut quem à fragili mortalium conditione diuturniorem ſibi promittere non poterat, quæſierit à fabulis. Hinc per metamenpſicoſim finxit Euforbum in Eutolidem in Hermotimum, hunc in Pirrum Piſcatorem, Pirrum iterùm in Pithagoram tranſmigraſſe. Nunc verò intèr triennii anguſtias congerat unius ævi Philoſophantes? An ætas hæc noſtra progignat juvenes ingenioſos, & capacitatis adeo exaggeratæ, cui non ſatis ſit unus ſed multiplici erudiri petat inſtitutore? Gratularer hic ego nobis fœlicitatem inauditam, niſi vererer potius ne adverſam debeam lamentari

fortunam, quando recens Philoſophia tàm longè ab antiqua diſceſſit, ut jam devenerit ad Antipodas.

Tàm liberaliter illudenti labore tenui rependerem paria, & inſpergerem non impares de paupere ſalillo, ingenii mei ſales, niſi levioribus hiſce contendere indecorum reputarem, & graviſſimo huic Senatui quo coronamur & Philoſophi perſonæ, quam ut cumque ſuſcepi ſuſtinendam; ſerius ergò ludam retorto in irriſorem telo rem enitar meam conficere, & ad votum conficiam opinor ſi evincam in laborioſo Philoſophię ſtudio plus proficere, qui plures nanciſcantur Profeſſores, & plures excipiant Inſtitutores.

Solemnè diſciplinis omnibus, ſive liberales illæ ſint, ſive

illi-

illiberales eſſe judico, ut cum homine unum à quo vitã hauriam nanciſcantur genitorem, plures verò à quibus tum vitæ, tum moris majora capiant incrementa; Unius gignimur in ſinu Genitricis, ſed uteri materni relictis anguſtiis obſtetricis ulnis excipimur, nutricum admonemur uberibus, plurimorum linguis, manibuſque tradimur à quibus informemur, in viros Reipublicæ idoneos. Non aliter facultates, & diſciplinæ ab unius ingenio cũ luce ſortiuntur initia, ad honeſtatem, tamen, utilitatemque generis humani, qua hodie pleræque pollent, non niſi ſtudio manibuſque multorum profitentium inſtruimur. An verò cum eodem homine plus debeant gignenti, quàm excolentibus non auſim facilè pronuncia-

Digitized by Google

ciare ſcio nos à Parentibus naturam trahere, ac fundamentum, quo ſubſiſtimus, & excolimur, à cæteris verò ejuſdem naturæ virium augmen, & ornamenta, propterea cum primis debitum contrahimus non quocumque pretio ſolvendum cum nutricibus; cæteriſque inſtitutoribus ſolvendū pretium accuratioris induſtriæ, hoc eſt auri pondere non admodum exaggerato. Facultates tamen, ac diſciplinæ licèt benè de ſe meritos auctores fateãtur ſuos, non minus tamen ſè debere cultoribus cogunt apertè fateri, ut à quibus, & exornantur inventa, & partibus augentur primis haud imparibus. Verius itaque Urſino fætui quam humano comparaverim; Urſinus quippè catulus ſi ſaperet uterum quaſi novercam deſpi-

ce-

ceret, linguam verò coleret pro genitrice. Effunditur ab urſa non tàm catulus, quàm moles carnis informis, & indigeſta, monſtrum veriùs quàm animal, nulla partium diſcretione, nulla delineatione membrorū, diceres marmor impolitum, quale nuper effoſſum mittit lapidicina: lingua verò obſtetricante dum aſſidue lambitur, eruditur paulatim, diſtinguitur in partes, efformatur in Brutum, eaque veluti lima, ſcalproque tunditur, teriturque, donec Simulacrum ſpirans incedat, non tam naturæ partus, quàm induſtriæ. Id artibus contingere in aperto eſt. Vix exortæ cum Urſis infantibus meritò conferre poſſunt, adultæ cum iiſdem maturioris Ætatis. Nauticen recole faſcias exoriens Ægyptiaca ſortitur in Pa-

Digitized by Google

Papiro, cunas in trabe vix carinata, Picturam cogita natali ſub die prima duxit lineamenta carbone, corporum umbram ac Solem ſecuta magiſtrum. Ad ortum muſices mentem revolve, vagit: inter malleatores, non aliam adhibens menſuram temporis, quam moras illas, quæ inter fabrorum ictus intercedunt, dum ferrum cadens tundunt alternatim. Militia verò nonnè ſęviit primo ſub pelle Urſæ lybiſtidis dextera faxis obarmata, & pro telis ſudibus uſa pręuſtis? Quid Statuaria? Nonnè cum pueris luſit pueriliter in argilla? Compone jam ſi placet cum adultis, & hodiernis. Nautica trabes trabibus intexit, & fluctuanti licèt Oceani dorſo Silvas imponit decurrentes, & Caſtra natantia; ridet cunas ſuas, & expandens

alas

alas in velis, in remis pedes, quæ olim deſudabat, ut Aſiæ de Littore ſolvens per Ægeum, & Adrię ſinus fontem Timavi ſuperaret, caurorum minas aſpernatâ, fælicitèr audax maria omnia pervadens Orbem circuit Univerſum. Quis hac in arte naſcentis ora recognoſcat? Martis illa Proles Bellona nonnè pellitam in caſſidem comutavit æneam, clypeum in loricam? Nonnè calibem, ferrumque exacuit igne in gladios, in haſtas, in ſagittas. Utinam extremis hiſce temporibus incrementum non accepiſſet, & clariùs quo funeſtiùs, in pyrio pulvere, æneis in tormentis in cendiariis in ignibus, globiſque volantibus! Non lugeret Orbis everſas arces, munimenta validiora à ſolo revulſa, & Terras Cœlo illatas, infe-

roſ-

Digitized by Google

roſque ſubmiſſos in Terram. Erebum penè dixerim ſolo refuſum. Et veterum pugnas bellum voces, ac bellandi peritiam? Quid Statuariam memorem, quæ ad gemmas uſq; manum tranſtulit ab argilla, quæ lapides, & vivere docuit alacriùs, ac pretioſiùs mori. I ergo, nega ſi potes minùs artes, & diſciplinas ingenio gignentis debere, quam excipientium induſtriæ, cum illæ in exortu abortus potiùs, ac fœtus informis, quàm abſolutæ artes, ac partus elegantes videantur appellandæ: hic ego rogo vos quis facultates, tàm benè formavit? Quis à cunis tranſvexit ad ſolium? quis ab imbecillitate puerili ad maturitatem, virilemq; conſtantiam produxit niſi cultorum frequentia, quorum quiſque ſtudio ſuo provexit ad ele-

elegantiam? neque dicas inventis addere levius eſſe negotium, quam invenire, nàm invenire ſimul, & exornare inventa tanto cum artium emolumento quis neget eſſe, ut laborioſius ita beneficentius? Errat porro quicumque ab hoc artium fato Philoſophiam velit exēptam, hanc quoque naturæ contemplatricem vagientem audivimus, ut pueriliter balbutientem, illam quoque cum pueris verſantem nuces inſpeximus, dum aniles planè fabulas pro ſapientiæ arcanis vix enatam venditantem audivimus. Terram voluit aquis innatantem, aut innixam jactis altè columnis, aut fundamento ſuffultam, ſed quo loco ſitis ne quæras, fæcundiſſimam rerum ſobolem, quam ſpectamus undique circumfuſam natam aſſeruit ex con-

Digitized by Google

connubio inter prima rerum initia contracto, ſed quo Patre, qua Matre, quo Himeneo, qua lege, qua dote ſcire ne contendas. Aſtrorum Princeps cum ſyderum familia vita donavit fame, ac ſiti præditos fecit, ac proinde in eſcam, in potum aquarum elementum à natura conceſſum edocuit, quæ cum audimus ad riſum provocamur an lacrymas? quibus majorum noſtrorum defleamus imperitiam? Ut verò ſuſpicimus hoc tempore appoſitè differentem? Cum Globum Terrarum ſuo innixum centro ſitumque in medio ſenſilium pẽdere immobilem faciat, ut partes ſingulas in centrum ſe ferentes declinare aliò non poſſe ſcitè ſtabiliat? Ut miramur de Cœlo fluido ſolidè diſputantem de motu Terrarum, atque ſuccuſ-

ſu

Digitized by Google

ſu firmiter ſtatuentem? Quam dilucidè de repentinis Lunę Soliſque defectibus, quos Eclypſes appellamus audimus diſputantem? Et naturæ quoq; contemplatricem quondam infantiâ laboraſſe negabimus? aut non aſſeremus hodieque à multiplici cultorum ingenio granditatem induiſſe cum majeſtate? ſcilicet cum ea ſit rerum omnium cõditio ut parva cum fluminibus, & rudia ſortiantur initia, paulatim verô creſcant donec eo citius ad omnem perveniant amplitudinem, quo à pluribus juvantur, & excoluntur, ſcientiam ad diſciplinas ab ea ſubtrahamus conditione? Quæ cum vera, vel oculis depræhendamus, vereamur, ne alumnis Philoſophiæ, noceat, quod tãtò ceſſit commodo Philoſophiæ? An obſit proli quod

pro-

Digitized by Google

profuit genitrici? Et inſtitutorum ſibi per intervalla ſuccedentium numerus ingeniorum profectibus obſtet, qui ſuſtulit contemplatricem naturæ ad faſtigium intelligentiæ?

Artibus hiſce liberalibus ſapientes convivium componũt, ſed illius generis convivium, quod collectaneum appellant, quod eo magis inſtruitur opipare quò conveniunt plures convivæ, quorum ſinguli ſymbolum ſuum, atque collectam apponant. Quis neſciat eò cęnabitur lautiùs, quò frequentiores accedant? Quid ni ergo lautiorem mentibus inſtruant cænam ubi plurimi confluant ſapientię laturi ſymbolũ ſuum Philoſophantes, imò hoc lautiorum genus non ſolùm dicendi argumentum confirmat à copia docentium juvari ſtn-

dio-

Digitized by Google

dioſos, ſed ultrò compellit aſſerere nullum ad alicujus Sapientiæ nomen perventurum niſi plurimcs excipiat eruditos, nam ſi eadem amplitudo eſt liberalium artium, ac cœnæ collectaneæ, hanc ſi velis liberaliorem non autem avaram, non debes contentus eſſe eduliis iis, quæ domeſticis naſcuntur in hortis, cum Apiciis oſtreas, & echinos petes à mari, alieno de ſolo volema colliges, volucres aucupaberis alieno ſub Cœlo, neque enim omnis fert omnia tellus, aut mare, aut Cœlum. Non aliter ſcientiæ in epulo, non quodlibet ingenium fert omnia, quæ ſuaviſſimam inſtruent Philoſophiam, ex omni Terrarum parte corrogandę ſunt menti eſcarum deliciæ. Mundum emulatur Philoſophus cum univerſum contempla-

Digitized by Google

platione complectatur. Mundum porro Quirites appellarunt, non ſolum ſpectabilem hanc rerum machinam, ſed etiam quod eādem rerum quodammodo imitaretur complexionem, immanem quendam intra UrbemTerrę patentis hiatum, in quem ex Provinciis Romano ſubjectis Imperio Terræ particulam iniiciebant, Mundum pariter nūcuparunt muliebrem illam ornamentorum congeriem, quibus unde cumque comparatis utuntur fœminæ, non tàm ad corporis venuſtatem, quàm ad excolendam animi vanitatem; Qui non tàm à munditiæ quā inducit, quàm à rerum numeroſitate, qua par Orbi conſtituitur, nomen invenit. Complectitur holoſericas Sinarum telas, Malabricas Indorum gemmas, auri bracteas Pe-

Digitized by Google

Peruani, Piſcarii littoris margaritas, uniones Ægyptios, adamantes Æthiopiæ, Siciliæ corallia, aëreas Batavorum texturas, verſicolores Gallorum tenias, Phrygio pietas acu veſtes; Cypri pulveres, unguenta ſeplaſię, odoras Arabum merces; quid plura avium plumæ petitas è Cœlo, è viſceribus Terræ pigmenta, piſcium oſſa Maris è ſinu, & quando ab igne vectigal ditius nequit exigere, ſpecioſam crinium tortu-ram auidiſſimè repoſcit. Tollitur qui ſibi perſuadeat pauciores animi dotes Mundum conflare Philoſophicum, minima pars eſt ingenii fæcunditas, ſublimitas intelligentiæ, mentis celeritas, maturitas conſilii, animi vis, & acumen; pars item exigua in diſtinguendo ſubtilititas, perſpicuitas in explican-

do, in aſtruendo firmitas, in tuendo conſtantia, ſoliditas, in diluendo, in redarguẽdo fęlicitas. Nimirũ neceſſe eſt ut addat amorem veritatis, falſitatis odiũ, antiquitatis venerationem averſionem à novitate; Noverit oportet arguendi modos, Sophiſmatum nugas eluendi, difflandi Pirronis incerta, ac Democriti pulverem Atomorum, umbras, & monſtra Platonis, Ideasj, & Colcodeas cenſoria pluſquàm virgula diverberandi. Complectatur neceſſe eſt Stoam, Porticum, Peripatum, Academiam, quæ omnia unius Profeſſoris capitulo concluſa deſperes reperire, etiamſi capacitate Diogenis æquet doliolum, ſcilicet naturæ moris eſſe fertur, ut alias Terris aliis delicias indulgeat; Et auctore Tullio ſingulis ingeniis dotes ſin-

Digitized by Google

ſingulas diſtribuit, ne indulgentior alicui, ut parens, aliis ut crudelior noverca exhibeatur; De Oratoribus idem aſſeruit conceſſam fuiſſe Iſocrati venuſtatem, ſubtilìtatem Liſiæ, acumen Hyperidi, Eſchini ſonitum, vim in dicendo Demoſtheni *de Bellatoribus* ſenſit antiquitas obtigiſſe ſagacitatē Annibali, Cunctatori Fabio prudentiam, ferocitatem Marcello, Scipioni cum ſanctitate moderationem. Fac ergo commentatores naturæ eamdem ſubire conditionem, fac profeſſorem tuum acumen ſortitum eſſe cum Ariſtotele, mentis Divinitatem cum Platone, cum Socrate animi compoſitionem, aliis verò dotibus frequentioribus indigere eas quibus caret ab aliis non inveſtiges? Si frumento redundet agellus tuus,

non tamen exuberet Bacco: tu verò Uvas aut ſegetes aliundè non colligas, aut fame peribis, aut ſiti. Et quicumq; naturę indagator, peribit inglorius niſi quod ab uno Doctore ſortiri nõ poteſt ab alio cõparare non ſatagat. Nec parem labori gloriæ ſegetem demetet, quicunq; pluribus aures non præbeat auctoribus, non Mundum conficiet philoſophicum, ſed prædiolum, non convivium, ſed merendulam Sapientiæ; Uſque adeo certum eſt Philoſophiæ alumnis prodeſſe Doctores audire quam plurimos, obeſſe verò ſingulares frequentare.

Pithagoras ille è Græciæ Sapientibus unus ea ętate Philoſophantium anteſignanus ſaltem pallio tenus ac nomine, quippe qui, & Philoſophi nomen, & pallium, primus uſur-

pa-

pavit, utrumque cum digni-tate geſturus longiori inſtituta peregrinatione à Græcis delatus ad Indos, luſtravit Ægyptios, Caldeos penetravit, Magos, Sacerdotes, Gimnoſofiſtas auſculaturus, audiit Cleofilum, Ferecidem, Amaſidem, & ſi qui alii Sapientiæ nomine percelebres vixere, & animi greſſibus æquans veſtigia pedum, mente peregrinus æque ac corpore, peregrinam quoque, ac raram ſibi ſapientiam comparavit, illuſtre ſanè exemplo ſuo poſteris relinquens documentum, plurimum videlicet profecturos, qui ſedulo plures excipiant inſtitutores. Nollem hic à Pithagoræ nomine monitos aliquos ad ejuſdem auditores mente traſcẽderent, qui cum in verba Magiſtri juraſſe dicerentur, circuire ratio-

cinatione negligentes Pithagoræ auctoritatem philoſophandi metam ſibi ſtatuerunt, nihil audentes ultra proferre, quàm ipſe dixit, nollem inquam à præceptore peregrinante ad alumnos provocarent merè Statarios, quaſi verò ità eos docuerit Pithagoras, ut vellet in ſtatione diſcipulorum emendatum quidquid ipſe peregrinando peccaſſet: nàm primò acerrimè pernego teſte Lacrtio, ſtipites hujuſmodi litteratos fuiſſe ſapientis Samii ſectatores, ſed ait è lyceo prodiiſſe Pithagoræ alteriùs è Zacinto nõ tàm Philoſophi, quàm citharedi, tùm etiam ſi demus Samii fuiſſe auditores. Rogo, num comparandos cenſeant Statores nullius nominis, & obſcuræ litteraturæ, cum viro præclarè Sapienti? An accenſeri

ſeri debeant Philoſophis, qui ſibi ratiocinatione interdicta toti nitebantur unius auctoritati? Rupices à quibus nihil aliud expectes, quàm duo verba: ipſe dixit; niſi malis dicere rupes vocis imaginem inquit reddentes, & quæ ſemel audiere, nec ultra, an veriùs non ſapientiæ Patres, ſed ejuſdem parricidas inſipientes, cum extincta ratione anima deſpolient Sapientiam, vel Tyrannos imitantes, qui rationis libertatem auctoritatis jugo ſubmittunt. Habeo tamen grates, Statariis hujuſmodi ſuggerẽtibus, quod telum exhibeant quò rem poſtremo validiùs conficiam: ideo namque ignotos, obſcuros remãſiſſe profiteor Pſittaceos auditores quia doctorem audiere ſingularem, ideo Pithagoram hodieqne Sapientibus ad-

numerari, quia pluribus aures præbuerint Sapientibus.

Quæ cum ità ſint ſume animos pluribus deſtituta Magiſtris pubes Firmana Philoſophiæ candidata, dum Sors ac Fortuna aliis alios ſubrogavit Doctores, tecum materno luſit affectu, plures ſubduxit, ut utilitèr numerum augeret, nec ſine fænore Doctrinarum, non imminutam voluit Sapientiam tuam, ſed pleniorem; libertatem conceſſit ratiocinandi dùm primos ſubtraxit Auctores, dùm animi cultorum numerum auxit eruditi laboris fructus, ac meſſes pollicita eſt uberiores, privavit lacte primo ut alimento nutriret ſolidiori. Cum Samio Pithagora intrà claſſem voluit peregrinantes, dùm intrà eamdem triennio plures ſubſtituit Præceptores,

con-

convivium inſtruxit planè col-
lectaneum lautius cænaturæ,
ut tot fruereris ædulïis, quot
Doctoris ſuæ ſymbola contu-
lerunt Sapientiæ, ut Mundum
Philoſophicum mente comple-
cteteris tot divitem prærogati-
vis, quot Doctoribus utereris.
Quoniam ut diſciplinarum
omnium ità Philoſophiæ con-
ditio ea eſt, ut eò magis profi-
ciat cum cæteris facultatibus
quò à plurium linguâ, ac in-
genio plurium ſedulò excola-
tur.

Digitized by Google

DIOGENES

CVM LVCERNA

Ad Tractatum de actibus Humanis Proluſio habenda non tamen.

Habita Peruſij Anno 1657.

PHiloſophus ille doliaris, & Cinicus Diogenes ſinopeus die quadam Domo egreſſus an dolio? Forum in quo totius Græciæ conventu nundinę celebrabantur lucernam præferens in meridie, hominem ut ajebat quęſiturus ſedulo perluſtravit. Num invenerit quem inquirebat, licèt paſſim in hominum greges impingeret non diſputo, vereor tamèn ne plurimos in-

venerit, quos non indagaret irriſores ſui. Quis enim vel Eraclitus inter lacrymas in riſum non erumperet hominem intuendo ebrium quamvis vacuo de dolio progredientem? Hominem præferentem radio Solis tenuem Luccrnæ flammulam? Hominem Philoſophum, hoc eſt Aquilam ſapientiæ cecutientem in meridie, ſentientemque noctem planè concubiam? Hominem qui à ſe diſceſſerit, dum Philoſophando doceret alios ad ſe redire? hominem quærentem, quos non amiſerat, ſegue amiſſum non curantem? qui paulo ante eruditus, ac doctus minervam ſapiebat, mox verò, ut ajunt, non niſi lucernam pinguiorem? verum ſi quis ſagacioris ingenii in ſpectaculum incidit, facilè potuit aſſequi Cinicum ingenio

nio à cutiorem quam dente, cæteris lucerna præfulgere voluiſſe non ſibi, non inſanyſſe, ſed ſapienter arguiſſe ſpectatores inſaniæ, irriſiſſe magis illos quibus ſe præbuiſſet irridendum, nempe inſinuare voluiſſe non omnes Homines eſſe qui Homines eſſe videntur, neque enìm aut ſole, aut oculo, aut palmo, aut à recta membrorum ſtructura hominem bene dignoſci, ſed luce opus eſſe ſublimiori, hoc eſt à ſapientiæ radio, à recto rationis uſu, à Virtute vitioque nàm rerum affectibus terrenarum inſordeſcere non hominis eſſe, ſed bruti. Quæ cum vera ſint, quam infelix eſt hominis conditio, quæ tum maximè deridendam ſe præbet, dum liberalius alios irridet, aut æquius deridere ſe putat. Quorſum inquiet veſtrum aliquis

tam

Digitized by Google

tam aſpera, tam fellea? Quorſum? Huc tendunt omninò, quo devenimus, ne facilè quis alium ſugillet niſi alienæ velit ſugillationi ſubeſſe, loquar apertius, cauſam meam peroro, placet namque Baccanalia prævertere, placet perſonam induere Diogenianam, & in hoc Sapientiæ forum cum lucerna prodire, ſi tamèn aptam invenire potero, qua ſin minus Hominem, humanos ſaltem actus inquiram, nollem ergo ad riſum provocare, ne ad ullius provocer irriſionem, ſcio me non Corinthi, aut Magaræ, cum Cinico commorari, ubi deliciarum affluentia ſæpe, vel ſapientes cogit ad inſaniam, ſed Athenis verſari, hoc eſt diſciplinarum, ac literatorum in hoc Atheneo (cum præſertim, tàm præclara virorum illuſtrium

pa-

panegeri coronemur) ubi vel noctuæ gratiſſimæ operantur Minervæ, proinde honorariis auſcultatoribus inquirendam non propono lucernam, ſed lumen ab iiſdem quæro, quo dum fruuntur accēdunt ſibi, aliiſque meridiem. Vobis igitur quotidianis Auditoribus meis, & inquiro, & inquirendum conſulo; quamvis enim à crepuſculo ſolari vos ingenio pollere dignoſcam, vix tamen aut diluxit diluculum, aut auroræ confinium attigiſtis. Antequam tamen illam inquiram opus eſſe judico pauca de ejuſdem neceſſitate præfari.

Eodem conditio manet Hominem, quæ præſtantiora in hac rerum ſenſilium univerſitate quæ eo difficiliora cognitu probantur, quo feruntur ſublimiora. Sol Princeps aſtrorum

rum, ut cæteris it altior, ità circumfertur ignotior, cum ſuo ſe cęlet lumine nullique concedat oculorum aciem in vultu defigere, ne formã, aut maculis deformatam, aut illeſam deprędendat. Haud ſecus majeſtas Hominis cum ſit Cæleſtibus natura propinquior, & corporatarum rerum caput ac ſplendor, non facile in ſuo fonte, vultuque ſpectatnr. Hinc Plato licet Divini ſuperbus elogio in eo tamen definiendo viſus eſt homine minor, & quaſi poſitus in lubrico, pede fugiente non ſine riſu noſtri Diogenis fędè prolapſus eſt; Cum enim definierit animal bipes implume, magni capitis à Gallo, Gallinaceo, eoque deplumato nõ diſcriminavit. Hinc etiàm mens illa Platonis à Stagira cæco more collimaſſe conjicitur, cum, &

Ho-

Hominem rationis uſu donarit eumque Brutis penitus, non denegarit. Cum enim ſemen aliquod ratiocinationis conceſſerit, ambigendi locum fecit num ſagaciora bruta inter Homines, au tardiores Homines ſint inter Bruta recenſendi. Ubi ergo Philoſophorum oculatiſſimi allucinati' ſunt, quam altam conſendum eſt regnare caliginem de Homine eodem in hominibus; cujus ſi cauſam inquiramus, non aliam eſſe decernemus, quam humanorum actuum ignorantiam, abſtruſamque naturam, ut oculis, ità cogitationibus imperviam; ſiquidem ſolet natura rerum patere mortalibus per eas proprietates, quas rebus ſingulis ſingulas indidit auctor Deus, per quas veluti per rimulas ea ſe pandere, quodammodo, ac mentis

ocu-

Digitized by Google

oculis aperire conſuevit, ità per calorem ac fumum ignem agnoſcimus, Leonem per rugitum, per barritus Elephantem. Cedo jàm ſi potes ſingularem illam prærogativam, qua homo diſcriminatur à brutis: adduces rationis uſum cum Ariſtotele? At ejuſdem ambagibus irretitus neſcias qua tamdem via Margitem à brutis eximas, aut bruta ſagaciora ſecernas à Margite. Prudentiam? At Elephanto belluarum, ut nulla prudentior, ità hominibus par etiam eſt prudentioribus. An providentiam in futurum? At ab hominum ſapientiſſimo piger ad formicam dirigitur ut providendi magiſtram. Ridendi facultatem? At effuſiſſimè ridet Cercopitecus. Ludendi peritiam? At ludendo latrunculis Simiolus quoque victoriam

re-

reportavit. vim admirandi? At nimirum in modum Vlula ſtupens arcuat ſupercilia. Vocem articulatè prolatam? Quid Pica quid Coruus, quid Pſittacus, an non decepere audientes articulatè pronunciando? Quid Hiena, quæ furit immanior, quo ſe probat loquendo humaniorem? Rectam in Cælum faciem, ſtructuramque membrorum? At per hos dies monſtra quedam miſit Oceanus, quæ ſenes vocant, juvene quocumque erectiora. Proferes artes, partus rationis Reipublicæ utiliores? At quam non edocemur à Brutis? didicimus à Cervo, ab Hirundine, à Canibus, á Ciconia medendi facultatem, navigandi ſolertiam à Coturnice nauta melior an navis? an potius ſibi navis, & Nauta Remex, & velum alis auram captat

Digitized by Google

tat curvatis in ſinum, & altera defatigata ſuſpendit alteram, modo utraque collecta fluctus pedibus pulſat tendens in littus. Architecturam? At quis Dedalus, quis cum Ape Vitruvius in hac arte contendat? Canendo quis ęmuletur luſciniā, quis ęquet Acredulam? Quis araneis texturas ducat ſubtiliores? Quæ cum ità ſint mirari deſines ſi alta involuti caligine nos Homines jacemus; nimirum latent adhuc humani actus lineamenta, & Hominis natura non lateat? Cum præſertim ſimilitudo, & pręrogativarū participatio nos habeat in certos? Quamobrem meridiana luce patet clarius ulteriori ſplendore, quam Solis nos egere, ut ad intimam hominis, eiuſque actuum agnitionem deveniamus. Et quidem cum actus ij propriè

hu-

Digitized by Google

humani numerentur, qui à ratione progrediũtur ac arbitrio; quid ni gignentibus non abſimiles vim ſenſus effugiant? Quid ni intellectus ac voluntas partus edant non degeneres, hoc eſt lucis hujus inimicos, & qui cum Parentibus impenetrabili mentis in arce, cæcoque pectoris carcere cõtineantur qualibet ſpectabili ſpecie denudati. Adde quod plerumque oriuntur ibidem, ac moriuntur penitus inviſi, adde iterum, quod aliquando vix novere ſe ipſos, imò ne vix quidem ſe cum genere ſuo, adde quod aliquando violenter erumpunt, clanculum obrepunt aliquando, aliquando ſeſe doloſe inſinuant, mentem occupant incautam, turmatim aliàs ebulliant, tumultuentque more Plebis inſanæ, quod ſi quandoque deſcen-

ſcenduntad ſenſus, & ſenſibili ſpecie prodeunt perſonati, de facie nondum integrè conſpiciuntur. Hæreas propterea an ſponte promanent, an exquiſiti curioſius, an liberius,& quod majus adhuc negotium faceſſit dum nituntur apparere, illico confundunt aciem intuentis cum ad lucem veniant, vel perturbati violentia vel metu perterriti, vel errore ſeducti, unde dubius pendeas, integri ne ſint partus an abortus; quare quod Salomon de via volucris in aere, ſerpentis in petra, Navis in Mari pronunciavit, jure meliori de liberis Hominum actionibus poſſumus uſurpare fatendo nos penitus ignorare vel tota luce Solis affulgente, facemque Sole pręferente. An non igitur lucernam adhibeas cum Diogene velin meridie? ſed qualis

Digitized by Google

lis rogo vos lucerna nobis eſt adhibenda?

Veſtrum non nemo illico revocabit in memoriam fumoſã, famoſamque Cleantis, ac Ariſtofanis, quam vel uſu, vel nomine clariorem reddidere. Nam ſanè tàm Oratores, quam Poetæ, quin etiam philoſophãtes ad elucubrandas, vigilandaſque ſcriptiones ſuas certatim magnoque pretio ſunt licitati, quaſi verò non tàm oculis luceret quam ingenio, nèc tàm oleo lumen enutriret, quàm Spiritù ſapientiam, quin imò non tam caracteres indicaret, quàm cognitiones, ac menti conceptus ſufficeret elegantiores. Vereor tamen ne minus juvet Theologicæ veritatis indagatores, quam contemplatores naturæ illuſtraret, luce nobis opus eſt, ordinis altioris, &

quæ

Digitized by Google

quæ naturæ fines longius exce-
dat, quidquod uſu tot ſæculo-
rum attrita vel otii ſemeſa ru-
bigine putanda eſt ad nos vix
inutiles traduxiſſe reliquias.
Fateor denique hujus ævi pau-
periem non eſſe ſolvendo ſi
tanti vendatur quanti olim
ſtetit antiquis, quamobrem
cenſeo prætereundam, ut mi-
nus opportunam diſpendio-
ſam nimis.

Profertur à Matheſi ingenioſis
ex officinis quædam lucerna,
quæ vulgo magica nuncupa-
tur, quod plerumque prodi-
giis ſcateat pluſquam lumine
in albo, nudoque pariete ſcę-
nam aperit colorum ac perſo-
narum, arcana luce immotis
notum prębet icunculis, vitam-
que figuris emortuis, non alio
uſa ſpiritu, quam flammula-
rum, non alio pennicillo quam
ra-

Digitized by Google

radiorum , quid ni etiam , & mentis arcana revelet, & incorporea coloret ſimulacra? Attamen dum lucem inveſtigamus in umbras incidimus ; umbras amat hæc lucerna , irradiat in tenebris, lumenque per tubos, per anfractus, per vitrea repagula elidit, minuitque. Poſtremò ſubdole videtur incedere, cum tandem lucem evibret vix malignam, dolos, ac tecnas pertimeſco cum apertam oderit veritatem : Itaque aptior eſt præſtigiis illudere vel decipere, quam docere.

Hiperbolum neſcio quem accepi lycneorum architectum in Gręcia floruiſſe, quorum artificio ac luce adeo provexerit fortunam ſuam , ut ſibi viam fecerit, facemque prætulerit ad Urbis Imperium, primaſque digni-

Digitized by Google

gnitates. Quid optatius accidere nobis queat, qui per humanarum actionum intelligentiam ad æternitatis Imperium appetimus pervenire. Verum ubi ſublimitas allicit artificis primo aſpectu, mox ejuſdem deterret ex ęquo ſecuta depreſſio, quippe quem primùm oſtraciſmo in exilium eiectum inaudivi, tum redactum in ordinem ad lucernas manu retuliſſe, demum quod pro ære plumbum venditaret iterum exilio fuiſſe mulctatum, ſuiſque fraudibus, pro ſolio crucem, pro regni habenis mortem ſibi comparaſſe, cum tamen arte ſua nec tantum auri conflaſſet, quanto ſibi poſſet vitam à ſupplicio redimere, vel ad manes illuſtrandos lucernam, ſibi comparare ſepulcralem. Apage hujuſmodi

di lucernas nulli profuturas, quando tam aſpere nocuerunt artifici.

Antequam diſcedamus Athenis, non pigeat Minervæ Templum inviſere. Memini me legiſſe Callimacum Regem prope Numinis ſimulacrum parieti auream appendiſſe lucernam eo fabrefactam artificio, quo ſemel in anno inſtructa liquore, flammam aleret inextinctam. Placet profecto diuturnitas lucis, placet ſublata quotidianæ inſtructionis ſollicitudo, ſed quod aliis fortaſſe placere magis queat diſplicet mihi, nempe auri materies, tùm quià tàm pretioſi metalli ea eſt hoc ęvo caritas, ut vix parabile videatur ad unius lucernæ menſuram, tum quià timendum eſt ne mortalium oculis

reſplendeat luculentius mate-ria, quam flamma, eoque ſplen-dore perſtringat mentis aciem non augeat, hebetet non acuat ingenium, & ad lucra magis invitet quam ad ſtudia, vis e-nim ineſt auro pluſquam ma-gnetica; qua ſenſim ſine ſenſu vel renuentium corda ſuffura-tur à litteris, flammam vero li-cèt annuam enutriat, non tan-dem ſervat quamdiù peropta-mus; non enim emendicandam volumus annuatim, ſed in æ-vum duraturam inquirimus.

Monet hic tamen Gregorius à doctrina magnus, major a ſanctitate, a dignitate maximus, non eſſe à quolibet auro timen-dum, quin imò ſuadet, ut au-rum quoddam, quod ignitum appellat, procuremus, quippe quod lucernam conficiat, quæ

ſibi

Digitized by Google

ſibi met futura ſit liquor, elicnum, & flamma, quodque magis expetendum eſt, comparari poteſt ſine auro argentoque, ſed levioris tãtum laboris commutatione, & quod quàm maximè admireris, uſu non teritur ſed in dies augetur magis, magis ſplendore, ac proindè non niſi cum vita poſſidentis extinguitur. Profectò cuicumque non arridere non poteſt, propterea inſudandum duco cuilibet auditorum, ut voti Reus evadat. Gregorius idem auri fodinã, unde copioſius materies extrahatur indigitat, modumque comparandi. Dum enim aurum hujuſmodi ſapientiam eſſe declarat, quæ non auro, non argento poſſidetur, ſed ſtudio, vigiliis, exercitatione conquiritur, congruè quoque

fodinam ſcholam eſſe deſignat, venas volumina. Adeſte igitur mecum Juvenes, præibo in hac paleſtra exemplo, labore, vos operi mecum incumbite, lectiones quotidianę rude dabunt aurum ac impolitum, ignea vis animi ingeniique aurum excoquet, animi coſtantia præſtabit incudem, malleum labor; igitur continua exercitatione contundite, cogitatione, aſſiduaque lectione terite, donec exeat lucerna, & cum Carcheſio ſive Albeſtino filo dum flammam erumpat immortalem. Hoc unum monitos tandem volo, ſi quandoque flamma torpeat, validioribus votis velut halitu ſuſcitate, hæc enim, ut opinor, lucerna eſt quam Diogenes adumbravit, hæc homines dabit agnoſcere, ac intimè

Digitized by Google

mè humanos actus penetrare hanc ſuadeo, hanc exhibeo hiſce de cartis evoluendam, & ut olim vitæ lampas tradebatur, Auditoribus meis in fine anni donabo, dicaboque, quam ſanctè ſpondeo non in ævum tantum, ſed æternùm duraturam.

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRÆ
THEOLOGIÆ
PROFESSORIS VOTUM

Proluſio

Ad Tractatum de Deo Trino & uno

Peruſii Anno 1658.

DE ſuprema Divinitatis natura diſputaturus hoc anno NN. quamvis ad illius intelligentiam (aut Auguſtinum docuit in Africæ littore puer ſapientiſſimus) quodlibet ingenium vaſtum, licèt ac ingens anguſtum ſe probet ac imbecillum, ſi tamen alicujus optio concederetur, illi non ab ſimili in votis

Digitized by Google

haberem quo Pithagoras quidam à Zacinto citharedus effloruiſſe narratur. Optionis inſperatæ, ſi quem admiratio capiat antequam eat in ſententiam, imprudentiæ notam fortaſſe inuſturus eligenti rationes, quibus impellitur per humaniter excipiat. Præclarus hic citharedus (quem ſecundum, meritò nuncupes Apollinem, eo quod ſin minus Muſæ muſici ſaltem parens fuit inſtrumenti) in theatrum ſonorum quoddam protulit ædificium inviſum planè ſæculis ante actis, monſtrum, & grande ſine nomine portentum, quod eodem ſcitè tangente ſpectatores univerſos rapuit in admirationem auctoris, & ſui. In eo quippe lyrę plures, plures citharę coagmentabantur. Mole quidem corporis ſpectabatur haud magnum,

gnum, ſed maximum virtute ſentiebatur, cui propterea illud Herculei ſimulacri cum Poeta potuiſſes inſcribere.

Parvumq; videri
Sentirique ingens.

Unum erat oculo judice, auris ex arbitrio multiplex, Pyramidis aſſurgebat in ſpeciem futurum præſtantis ingenii monumentum, aut ſepulcrum non ultra tendentis armoniæ. Æreo tripode pyramis fulciebatur, ne auctori deeſſet, unde Phębus, & febas extremæ ſuavitatis oracula ſonantius effunderet. Pyramidis latera deducta paulatim ab imo ad ſummum, ſibiq; invicem inhęrentia tandem deſinebant in punctum, quo videlicet punctum omne ferret utile dulci permiſcęndo. Ternas inter latera facies explicabat, quæ fidibus apta collo-

catione contextæ ſpectaculum non minus oculis gratum exhibebant, quam jucundum auribus melos promitterent, cum variæ protenſæ diſcordi vocum tenore ſine ulla artis, ac aurium offenſione ſponderent ſingularem in voce concordiam. Et profecto mixtum edebant concentum ex Dorico Lidioque, Eolio Frigioque, quo pariter, & acuebant ingenia, & animos ciebant ad motus, motibuſque compoſitis ad tranquillitatem revocabant. Quoniam verò hę facies ſibi neceſſario invicem averſabantur, & altera ſe tangendum præbente removebatur & altera, non ſine ingrato vocum ſilentio, nec manus celeritas quamvis aura velocior, quibat ex una in aliam opportunè transferri ſine auditorum offenſione. Malo remedium artifex

tifex allaturus rotam baſi ſuppoſuit, quæ pedum officio circumacta, verſatilem quoque Pyramidem circumvolvebat ea celeritate, qua ſingulæ facies quantocius manibus admotæ non niſi una, eademque crederentur, aut ſi plures depræhenderentur ex Diatonico enarmonioque ſaperent citharedorum contentio, non ſine geminato fænore ſuavitatis. Ad rei novitatem plauſere ſpectatores & Pithagoræ gratulati ſunt, quod fabulatus extra fabulam, & trifrontem Muſicæ Janum donaſſet, & Gerionem Orbi ſymphoniacū, numquam paribus exceptus clamoribus fuiſſe narratur, aut Heleus Hippias in Olimpicis, aut Roſcius in ſcæna.

Vehementius tamen urgeor in votum quod nobis haud abſimi-

Digitized by Google

ſimile machinamentum animo ſit concinnandum, operis verò parilitas quo facilius numeris omnibus abſolvatur, quid aliud auctor expetat magis, quam paritatem ingenii? quid optet Pictor Jaliſium delineaturus, quam Protogenis manum aut pennicillum Apellis? Quid ſculptor Cupidinis, niſi Praxitelis ſcalprum, ac peritiam? ſcilicet quilibet artis peritus, ut laudibus ęquet operando artis Magiſtros, non niſi aut manus peroptet, aut mentem eorumdem; cum ex axiomate Philoſophico idem manens idem ſemper idem faciat.

Et quidem ſi excedentia vires cujuslibet ſenſus liceat ſenſibus explicare, nil adumbrat clarius tractationem de Divinitate, quam muſicum Pithagoræ artificium. Nam primum

eri-

erigenda pyramis eſt Divinæ naturæ, quæ excelſiſſima terminos omnes mentis humanæ longè prætergrediens vix per umbram, ac nebulas obſcuræ cognitionis attingatur, ab eadem. Sejungenda non eſt facies triplex, hoc eſt Divinarum Trias perſonarum, quæ cum ſit res una cum natura, rurſus in hoc veluti punctum poſtremò conveniens, tripodem illum conficiat, qui ſcientiam quoque vocis habens oraculorum omnium verè fons eſt, & origo. In hoc tamen à Pithagorico machinamento hoc noſtrum maximè diſcrepabit, quod in eo facies invicem adverſabantur, cum in noſtro adverſari, cum Divino Perſonarum trias, tantummodo diſtinguatur, ac referantur ad invicem, nec inter illas odii germen

men pullulare potuerit unquam, aut poſſit. Facies item hujuſmodi finibus ſuis anguliſque generationis, ac ſpirationis æternæ concluſis, fides, hoc eſt à fide aſſumptę ſuper induent perfectiones eæ quæ omnibus, & ſingulis tribuuntur, unde attributa nominantur, ſive poſtmodum aliquid denegare videantur, ut immenſitas, ac infinitudo, ſive aliquid ponere, ut Bonitas, ac ſapientia, eæ tamen apponentur, non tamquam advehantur aliunde, ſed tamquam penitus innaſcantur à natura promanent, ſed ſolum varios per noſtræ intelligentiæ conceptus diſcriminentur. Ne verò in hoc noſtro machinamento quidquam deſiderari patiamur, enumeratis adjungentur relationes, hipoſtaſes notiones, oppoſitiones, pro-

ceſ-

Digitized by Google

ceſſiones, ſed ità prorsùs, ut ex Auguſtino nõ ſit aliud habens, & id quod habetur, aut aliquid habeatur, quod poſſit amitti. Quę cum ita ſe habeant, quantũ in hac noſtra magis quam in Pithagoræ mole non tantum ſapientis Philoſophi ſed Angelicum penè dixerim vel potius Angelici Doctoris documentis expolitũ deſideretur ingenium.

Verum in ea ex arte tangenda, & labor, & opus eſt ingenii, ne videlicet in artem peccetur, aut fidem; quanta enim exigitur in aſſerendo firmitas, in denegando conſtantia, quanta ſubtilitas in diſtinguendo, in refellendo celeritas, quanta claritas in explanando, in intelligendo perſpicuitas, præſertim ubi debet cum numero unitas convenire, ità ut, nec aut altera ſterileſcat, aut exuberet altera,

ubi

ubi eodem in ſolio divino in agendo libertas eſt cum neceſſitate Divinæ notionis incommutabilis collocanda, nec altera alteram lędat, & alterius jura perturbet; Ubi nec ſibi metuat ab inſeparabilitate diſtinctio, aut ex indiſtinctione confuſio timenda ſit. Quid ubi admittitur cum prole genitor, ſpiritus cum ſpiratore, nec tamen Patri Filius, nec ſpiratori ſpiratus, impar aſſeritur? Quid præterea ubi cavendum cum re ipſa voluntas intelligat, velit intellectus, clementia puniat, parcat juſtitia, neque diſtinctio ulla illa in ſe dividat; rerum tamen factarum ſpecies per quas nos tantum hic ad Divina cognoſcenda conſurgimus ſub imagine nobis illas exhibent inter ſe diſtinctarum; Ubi denique aliqua, quæ inter ſe pugna-

Digitized by Google

gnare videntur, aptè, ut à fide ſancitur, inter ſe convenire oſtendendum ſit, amiceque conciliari placideque foveri tanto majeſtatis in ſinu. Profecto ingenii opus eſt rota bene currenti, quæ circumquaq; evolvatur cum ea citharedi, ne ignava eſitantique rotatione, aut obſtrepat moleſtius doctrinæ melos, aut ſilentio abrumpatur ingrato.

Utinam igitur, quando major nedum par labor nobis incumbit, ſive in componendo machinamento ſive in tangendo par vis mentis nobis vigeat, ac ingenii! Hoc itaque mihi votum hoc auditoribus meis; Ingenium non tam naturæ lumine, quam altioris ordinis luce roboratum; cujus quicunque reus evadat, me judice ſolu-

ſoluturus ſanctitatis ad aras linguam, calamum, mentem, animumque pro votiva tabella ſuſpendere jure tenebitur.

Digitized by Google

LUDUS
NON LUDUS
Proluſio ad tractatum de Ludo

Senis in Templo Majori anno 1654.

FRuſtra igitur ſapientis Oraculum flendi tempora ridendique diſcriminavit? Adhuc lacrymis miſcebitur riſus luduſque ſociabitur luctui? Ptolemeus olim aleator melior, quã Ægypti Regnator jubebat inter ludendum ſibi a præſide Judiciorum Reorum nomina recitari, hiſque auditis ſententiam capitis pronunciabat. Barbarus hic alieno fletu ſua reſpergebat ſolatia, ho-

homines

Digitized by Google

mines quos olim Dii tamquam pilas habere dicti ſunt, crudelis Princeps aleas habuit pila leviores; Tigridum generi idem fuit aleam jacere ac hominem perdere, cujus vita ludus erat, ludum fecit & mortem, & hæc ludus appelletur non ſævitia? Verum inter Viros humaniores pro ludo viget adhuc mos immanior. Tullius, quod cauſas fortunarum, & capitum reſpergeret ſalibus, quibus Judices provocaret ad riſum audiit Scurra Senatus à Vatinio, à Catone ridiculus Conſul, melior cenſeatur, & gravior quiſquis officioſos intèr ludos in amittendæ ſe periculum conjicit ſempiternæ ſalutis; Vetuit olim Poeta ludum qui generaret.

Trepidum certamen, & iras
Truces inimicitias, & funebre
Bellum.

Digitized by Google

Et ludus exerceatur, quod bellum truculentius cum Deo generet? Utinam extitiſſet unus tantum, Barbari imitator, atque æmulus Regis, ſed ut audio verendum eſt ne totidem hodie numerentur Ptolemei, quot vivunt aleatores. In hos ferar ulterius, quò ad ludos revocem ſaniores.

Ingenuè fatear non ætatem hanc noſtram in tantam irruiſſe perverſitatem; ſentio ab ipſis penè depravatæ naturæ incunabulis morem iſtum occepiſſe. Ut enim ægro in corpore ubi humor aliquis vel copia peccat, vel intemperie, alimenta ipſa licèt ſaniora vertuntur in venena, ita poſt Adæ noxam imbecillo mortalium animo, in quo motus omnes incalvere, vel ſolatia abiiſſe in detrimenta. Vitalis ille liquor vitis à Noemo

mo repertus ad reparandas corporis vires, an non ad hauſtus alliciens largiores ebrietate caput invaſit, dejecitque de ſtatu mentis cultorem ſuum? Aurum ad fovenda inter diſſitos commercia, ad laxandas paupertatis anguſtias e Terræ viſceribus erutum, ſacra ſui fame corda depaſcens, Urbes, Regiones, Regna abrupto fædere belloque indicto depauperavit. Haud aliter otium ludi animi ſub curarum pondere ingemiſcentis placida quies ac dulcis deſcivit in luctum, in funus, in exitium; Uſque adeo miſeri ſumus, ut vel ipſa vitæ remedia nobis noceant, aut etiam mortem pariant; Teſtes hujus veritatis, quò longius ab hiſce temporibus turpis nota ſubmoveatur, ſint ludi ab Enea in honorem genitoris Anchiſę

ad

ad buſtum, ad cineres dati. Luſere ceſtibus Entellius, & Dares, an verius pugnarunt acerrimè? Pugnam ſapit an ludum dentium excuſſio, largior effuſio ſanguinis, confractæ cervices, penè cerebri ejectio cum vita? Fuerit tamen id Poetæ figmentum, nonnè paginę veritatis ludum referunt cum bello de crudelitate decertantem? Bellum dixeris verius ludi ſub nomine. Convenere Davidici Militis Imperator Ioabus, & Abnerus Dux Exercitus pro Hærede Saulis in ludum (ſurgant Pueri, & ludant coram nobis) proh funeſtum ludi genus! Caſtra locarat Imperator uterque e regione per montium declivia, ſola intercurrebat inter hoſtiles acies vallis aquarum perennitate, fæcunditate po-

morum per amęna, quæ tamèn in modum caueæ patebat, in qua pugnaturæ inter ſe bellue claudebantur à Romanis. In hac utroque ſpectante exercitu hinc atque hinc deſcendunt milites animo pares, pares numero, pugiles non aliis armis accincti, quam gladio breviori, alacritèr incedentes invicem ſibi generoſius occurrunt, ut propiùs acceſſere, expediunt arma, pedem figunt, & viro vir congrediens manum iniicit capiti, & hoſtis capillamento quo firmius pugnet, dùm dextera ſtricto ferro latera quilibet hoſtis petit infeſtus, unoque ictu ludum abſoluturus, mucrone trasfodit, unde eodem temporis puncto extincti omnes humi procubuere. Proh ludi genus! in quo mors, & vulnera initium

tium faciunt, & finem, ubi palmare ſcelus cecidit in palmam cadaver in Spolium, ubi nemo victor niſi victus, idem cedens, & cæſus, & nemo victoriæ ſupereſt ſuæ, ſed eadem ſors cunctos manet mortem cum morte commutare, & ludum voces? Quod ſi tamèn hoc nomine dignum cenſes, nonne belluinum potius ludum, quam humanum appelles? Certe non abſimilem narrant de lupis rerum indagatores; referunt nempe lupos ubi hyeme ſæviente acriori urgentur fame gregatim convenire; tum choream inſtituere, quam in orbem, tamdiu ducunt donec imbecillior viribus deſtitutus delabitur in terrã, quo procumbente choream intermittere, ludumque à pedibus ad dentes tranſmitte-

re remque non ultra ſaltibus agere, ſed morſibus fame deinde ſedata, in ſaltus, & luſtra diſcedere; ſic numeros qui ſaltando non explet, obeundo, penam dat membris ſuis implendo viſcera fameſcentium, Chorea hæc Lupinæ plane congruit voracitati, quæ ut atrocius vexat, ità cibo nutritur immaniori.

Fabulam de luſoribus narratam agnoſcite, niſi malitis expoſitam in tabula nuncupare ludicram hominum crudelitatem; ſiquidem ut fames acrior Lupum, ſic acrior ludendi libido compellit aliquando luſores compellit etiam frequenter lucri ſordidior ſames, ſed quod mireris Lupus, Lupũ trucidat, luſor ſcilicèt factus homini Lupus, ut colluſorem lędat, etiam

ſe

ſe ipſum læthali trāsfigit vulnere, graviter conſcientiam lędens animamque in vulnere, ponens meliora quæſo inquiet aliquis. Numquid fabulam narro? Feriati quidem, & hilares luſoriæ accumbunt menſæ non aliis armis accincti colluſores, quam talo vel alea, bello proludunt ſignis benevolentiæ iociſque verborum ſeſe familiariter provocantes, trudunt e fritillo pirgoque talos, extrahunt e pera foliorum faſciculum, iterumque ſpargunt effuſius ſales urbanitatis, leges quidem præſcribuntur pugnæ nō abhorrentes ab æquitate, an verò æquè ſerventur dubitandum eſt - Hilares, feſtivi, concordes conſerunt manus, lis nulla intentatur, vel ſi qua exoritur alieno finitur arbitrio, ſine iurgio, ſi-

ne rixa; quod ſi quis concipitur calor lepido ſcommate deferveſcit. Et Lupis arguas immaniores? Ulterius progreditor edifſere, num intèr ludentes non raro ſubrepat Militis Maroniani illa lex, exlex, dolus an virtus, quis in Hoſte requirat Num ſi alearum bellum primo ſanguini parcat, parcet ſecundò? num ſine familiæ detrimento, ſine muneris diſpendio, ſine aliorum querelis, ſine pretioſi temporis jactura peragatur? Num voces in Deum contumelioſè prolatæ reſonent, quæ ſi de more ſæpius intercedant non repræhendas immanitatem ludi pluſquam lupinam? Taces? Vel pudet mentiri, vel fateri pudet.

Gallos intèr, & Anglos atrox illud bellum ardebat, quo de glo-

gloria, de virtute, de Regno decernebatur, belli alea non admodum Gallo fauebat non ex armorum imperitia, non ex virium imbecillitate, ſed vitio Caroli Regis ætate junioris, licèt enìm indolis eſſet ad ſumma natæ, ac præclariſſimæ, fervore tamèn juventutis abreptus ad ameniora diſtrahebatur, jiſque detentus graviſſimum belli negotium non ut par erat conſilio, ære, milite ſuſtentabat. Imperatores exercituū per tabellarios nunciabant ſæpe depopulatas Regiones, ablatas arces, acies obtruncatas, & imminentia pericula graviora, ſed fruſtra Juvenilis animus inconſulta generoſitate ſæpe contemnit, quæ ſunt momenti gravioris, & à quibus Regni ſecuritas pendet, aut inclinatio. Ca-

rolus Nunciis aut aures negabat aut animum: denique cum omnia peſſum irent, virum conſilio promptum, & egregiè fortem Hiram nomine in Aulam deſtinant, qui equis ad celeritatem mutatis brevi Lutetiam tenens aulam ingreditur, adventum ſuum ab exercitu poſtulat Regi nunciari ſimulq; monere periculum eſſe in mora. Surdo cecinit, in dies trahitur, limen terit quotidie, quotidie ad Regis aures obſtructos reperit aditus, obducta velamenta, ne ad Regis vel oculos penetret, ille obfirmato animo greſſuque perſeverat in ſtatione, donèc tandèm aliquando caſu conſpectus à Rege, & quidem caſu conſpectus tandem admittitur ad colloquium; Accedentem ad obſequia Rex de more benignè com-

complectitur,& manu præhenſumin pignus benevolentiæ ſingularis per ampla Palatii ſpatia circumducit, pendentia oſtentat aulea, oloſerica periſtromata ſerico auroque intexta, abacos criſtallo radiantes, ſcrinia gemmis Indicis referta, menſas ebore, ebenoque ſegmentatas, armamentaria, æraria, viridaria, ſupellectilem, mundo ne dum Regiæ exornandæ parem. Interim de bello ne verbum quidem, jamque Hiras ad limen dimittendus deducitur, cum in diſceſſu Carolus interrogat, quid ſentiat de regiæ domus ornatu ac magnificentia: tunc miles occaſione avidè arrepta rei bene gerendæ, ſagaciter ac lepidè: Sereniſſime Rex, inquit, cuncta rapiunt in admirationem nihil ta-

tamèn ęque, ac majeſtas tua: nunquam enim ſpero me viſurum, qui animo alacriori Regna deperdat: nec vltra. Pupugit animum Regis acutè ſimul ac opportunè dictum, & pupugit ſaluberimè, nàm Carolus veluti à ſomno experrectus, à milite rerum ſtatum audire voluit accuratius, auditoque, cum milite, ſubmiſſa pecunia exercitibus opportunè conſuluit; Regnumque non cunctando, ſed feſtinando reſtituit. Poſt tot verborum circuitus, adſum cum Hira vobis luſoribus monitor, vobis præſertìm, qui tàm jucundè alea incumbitis ac talis, non ſinè ingenti conſcientiæ jactura, miror vos adeo feſtivos ludere, nec ſpero me umquàm inſpecturum qui animo tam ſedato, tranquilloque

que

Digitized by Google

que Cœlum amittat ac Deum. Utinam poſtremà hæc verba vos pungant ut Carolum, & ad ſalutem pungant, quod ut plenius conſequar, hujus anni lectionibus nitar obtinere de iis diſſerendo artibus, quæ ſalvo jure humano divinoque inter ludendum, queant adhiberi.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN PORTU NAUFRAGIUM

Ad Sacramentum Pœnitentiæ

Proluſio habita Senis in Templo majori anno 1655.

ENavigatum eſt, fluctibus jactati diu, tandem aliquando Portum occupavimus, in tuto ſumus, exclamat interdum in cõſpectu littoris, arena nondum capta malè cauta turba nautarum, jucundius ne, an inconſultius non rarò exultet, judicent in longum experti aquarum inconſtantiam, qui ſæpè eodem aquilonis impetu ſenſere cum voce difflata navigãtium vota. Fluctuat adhuc a-

lienis potius lacrymis, quàm undis ſuis Adriæ fretum, ejuſque in Portu luget adhuc Anglus nauta, Batavuſque mercator fractas Naves, jactas merces, merſos labores, lucriq; ſpes omnes infælici abſorptas naufragio, luget quod per longas viarũ ambages eluctatus per procellas ac brevia, per ſcopulos, & ſaxa ſuperſtes, in puncto tandem una ferè cum vita periclitetur in Portu. Anconæ Italiæ totius in emporio prænobili ad nundinas eo tempore celeberrimas convenerant ex Anglia, Belgio, Gallia, Græciaque, quin etiam Europa, Aſiaque univerſa onerariæ numero plures, magnitudine diſpares, pares robore mercibuſque: jamque Orbis alieni merce penè depoſita in Portu Mercatores ſoluti curis quodammodo ſecurius otia-

ban-

bantur, indeque velut extra teli jactum poſiti fortunæ, irati maris inſaniam non ſine voluptate ſpectabant, cum repente die Agathę Virgini ſacra vehemens Notolíbicus ingruit, qui primum æquore toto luſtrato ſubactoque, tutiora poſtmodum clauſtra pervadens, vim totam excutiens fædam invexit in Portum tempeſtatem. Venti vis audita eſt Navibus, ac propterea quaſi claſſicum inſonuerit, rates, navigiaque tumultuantur, ſtare loco neſcia iracundiam ſimulant, furorem exacuunt, ſecedunt in partes invicem infenſas puppes obvertunt, pro curſu recurſuque veluti Pugnæ proludentia belli ſignum expoſcere, vel extorquere velle videntur; cum iterum vento violentiùs incumbente velut armis expeditis

acie concurrunt, & prælium ineunt planè horrendum. Credas mutatis in criſtam velis, roſtris in gladios, in lanceas antennis, in umbonem clavo, militum alas pleno Marte confligere. Atrox pugna miſcetur, cæcoque furore Naves invicem ſeſe collidentes quaſſantur, laniantur, lacerantúrque. Sociæ in auxilium nullæ præſto ſunt, & ſi quæ tandem occurrant, non ſuppetias ferunt, ſed vulnera. Anguſtiæ loci ut poſitis in arcto flammis præcluſo fugientibus aditu non minuunt vires, iraſque, ſed acuunt.

Nautarum ac Mercatorum ſpectantium ejulatus animos augent decertantibus. Ars tota bellandi ſine arte bellare: itaque duce nullo, nulla lege feruntur in roſtrum, in latus, in puppim, nec quo eun-

dum

dum eunt, ſed quo rapiuntur, non pedem figunt, non ſiſtunt manum, donec hoſtis pugnæ non deficiat, aut vulneri locus, nullo alio laboris præmio ſtimulante, niſi aut propriæ, aut alienæ cladis amplitudine. Jamque videas alias aperto latere fatiſcẽtes, alias diſtracto herentes malo, revulſo alias clavo, palatim errantes aliàs puppi detruncata ęgrè ſe trahentes; portum denique commutatum in pontum, & undique everberatum gemina tempeſtate fatigari undarum, ac tabularum. I nunc nauta hilaris inclama: in portu, in tuto ſumus. Quanto cautius exclamaſſes cum Poeta! Aut ubi tranquillitas eſt ſi fida Portus in Statione turbo, procella naufragium eſt?

Hoc in litore quamvis placidum non ſtet mare, quale nactus

ctus olim fuerat paſtor ille Maronianus rudiori velut in ſpeculo infidam rerum fidem, & animarum pericula vel in ipſa Pœnitentiæ ſtatione alioquin fidiſſima; velut in inſidijs poſita placet contemplari.

Oceanum ingredimur quicumque mortalem hanc vitam ingredimur ad æternitatis littus enavigaturi. Ex Aquinatis effato luſtrali de fonte integritate deducta integram conſcendimus Navim, vix tamen à Portu rationis uſu, arbitrioque provehimur in altum, cum avernales auſtri tempeſtatem cientes nos in ſirtes, & brevia urgent, voluptatum compellunt in ſaxa latentia vitiorum, & crebris criminum fluctibus pluſquam decumanis ſęviſſimè diverberant. Quotus ille eſt, qui tot inter pericula ſpe-

ſperet integer beatum littus attingere, ac fælicitèr appellere, cum nec infans unius diei evadat illæſus; præſertim cum ętate procedente recluſa ex corde pluſquàm Ulliſſis ex utre ventorum claſſe, effrenis animi motibus ineluctabilem nobis procellam procreemus, Euris, Notiſque iracundiæ, ac concupiſcentiæ aquilonibus in animarum exitium conjurantibus. Profecto nos miſeros ſi in tanto rerum periculo conſtitutis, aut in hoc Sacramento ſecundam nobis tabulam non exhiberet Deus, aut alter veluti Portus Pœnitentiæ non pateret, in quo procellarum damna reparentur, reſtaurentur languentium vires, viarum errores corrigantur: an non hoc præcluſo, æternæ nos maneret deſperatio ſalutis, ac inevi-

vi-

Digitized by Google

vitabilis generi noſtro reſtaret interitus? Pœnitentiæ igitur Sacramentum tutiſſimam inſanos inter culparum fluctus, & naufragia ſtationem præbet, in qua divinæ aura benevolentiæ reſtituta, damna reparare perverſæ navigationis, & curſum totius dirigere in ſinus beatitatis datur. A voluptate quidem tranſmittit primum ad luctus, lacrymas abundè propinat, alit pane doloris, fateor; ſed proh dulces lacrymas, dolores, ac ſuſpiria, ipſis mundi deliciis gratiora! cum poſtmodum pariant ſine luctu lætitiam, ſine pęnitudine voluptatem, reſperſa nullo amarore ſolatia. Fęlix quicumq; huc appellit poſt naufragia, illi profecto geſtiendo licet exclamare: enavigatum eſt, in portu ſumus. Sed fallimur cum Nautis eò incon-

conſultiores, quo ſecuriores enunciamus: In portu ſumus, ſcilicet hoc etiam in portu latent procellæ, naufragia inſidiantur, eo graviora quo leviora creduntur. Habet habet Pęnitentiæ ſinus fluctus ſuos, & quidem decumanos, eo magis pernicioſos, quo magis inter eos Alcyones nidulari creduntur, ventos habet quolibet auſtro, euroque violentiores. Ultinam falſa vaticinarer! nec vera nimis oracula hominum temeritas, aut ſocordia comprobaret, dùm enim audacius plerique ſegniuſve hunc feruntur in portū, infames incidunt in Strofades, ludibundi rapiuntur in vortices, voraciores incurrunt in Scillas. Quamobrem hoc anno, hoc eodem de ſuggeſtu, veluti de ſcopulo prætemavigantibus

in-

indicandum puto, hoc fuge littus, vorticem hunc devita, hic vela contrahe, id quod pro munere meo ſequentibus in prælectionibus adnitar fideliſſimè præſtare, ut tuta navigatio, tutior navigantibus portus, & fidiſſima in poſterum Statio pateat Pœnitentiæ.

Digitized by Google

IRA COLUMBÆ

Ad Lectiones de Cenſuris Proluſio

Habita Senis in Templo majori Anno 1656.

SApienti Paremia monebat antiquitas cavendum ab ira Columbæ, nec aliud mea quidem ſententia voluit poſteritatem edocere, quam ineſſe cuique vel mitiori bilem ſuam, cum nec Columbæ, nec Formicæ deſit, quarum idcircò manſuetudinem, aut imbecillitatem, non eſſe nimium veluti per contemptum laceſſendam, ne quo tardior, eo implacidior proripia-

pia-

Digitized by Google

piatur in vindictam. Huc ſiquidem veteres collimaſſe, magiſtra mortalium experientia, rerumq;natura in eadem volucre cõprobat apertiſſimè. Prodeat in arènam columba injuriis laceſſita, moleſtiiſque iniquius provocata, quis iterum ut ira fruatur innocenti tantillam timidius exagitet? Quis credat pudicam avium Venerem, pacis nunciam, pacati numinis alitem adeo ira efferari, & efficacioris ardore bilis accendi, ut Leoni non impar in hoſtem feratur prorſus implacabilis? Olim ſiquidem homo iraſci neſcius, vel in cogentem, columba mitior audiebat: uſq; adeo mentis imperturbatæ, & extremæ ſymbolum tolerantiæ communi omnium opinione Columba ferebatur. Jam verò eas aliquando degeneret in iras, ut

ut Hircanæ Tigridis in ſpeciem abeat, ut pariter ſit cavenda, & cum eadem de crudelitate contendat? Anacreonti quondam viſa eſt tota quanta, quanta eſt amabilis, & poſſit amore deſpoliata furorem induere, ſpargere minas, cædes intentare? Naturam quidem amabilitatis in ea effingere voluiſſe ſimulacrum, quis ambigat? Quid enim indicat modeſta corporis moles non ad terrorem educta, ſed potius ad ſecuritatem? Quid candidior oculorum acies, amorum conciliatrix, non follis odiorum, edocta molliter inflecti, non minaciter intorqueri? Quid ſuſpenſus è collo torques, non venenatis gravidam ſagittis pharetram ſuſtentans, ſed Iridem plumarum, colorumque venuſtate gratiſſimam? Inermis præ-

terea incedit, non recurvis unguibus non adunco roſtro, non dente ferociter exacuto minatur, blando reſonat gemitu, non clamoribus perſtrepit inconditis, innocenti pro telo vibrat oſcula, & ſi vulgo credimus quamvis abſinthio nõ veſcatur in Ponto, ut communibus odij rixarumque ſeminibus deſtituatur, victitat ſine felle, ut nempè irarum, ac famis incitamento ſublato vivat amabilior. uſque adeo dum natura ſtuduit avis amabilitati, maluit huic indulgere, quam ejuſdem alitis vitæ diuturniori conſulere. Per liberalem prolis educationem in ſingulos ferè menſes ad hominum delicias, nonne dixeris, quot viſcerum pignora, tot amoris ſui documenta diſſeminare? quo ſibi largius amoris deme-
tat

tat alienos. Quis ergo caveat ſibi ab ira Columbæ?

Fallitur tamen quiſquis imbellem ſemper, ſemper mitem candidamque ſibi Columbam fingit, & nunquam formidandam ſibi perſuadet, adeoque irritari poſſe, non timeri. Certè Vates ille illuſtris æquè à lacrymis, atque oraculis eo indegnantem facit, & obarmat vultu, ira, gladioque, ac ſi in Urbium Strages, ac regnorum videatur aſſurgere. Quin etiam ad experientiam provoco ſuborta inter congeneres rixa ebullit adeo, ac fervet ira, ut in obſtantem inflammata dum fertur, nata licèt ſine felle pœnitendo fænore tota quanta eſt in fellem abire videatur, & ex inermi in telum commutari, ſeſeque uſa pro fulmine in hoſtem jaculari. ferit ut poteſt

unguium ſtylo, roſtri mucrone jugulum petit, diverberat alarum flagello, pectoris umbone proturbat; nec ante litem dirimit, aut recedit à pugna, quàm hoſtem, aut avertat in fugam, aut ſolo affligat exanimem. An non igitur cavendum ab ira Columbæ?

Profuſiùs adhuc effati fateberis veritatem, ſi neglecto verborum cortice, quid in nucleo lateat inveſtiges. Ut ut enim furat hæc avis quis hominum avis tantillæ conatus non rideat innocuos? ſcilicèt ſævire poteſt, nolentem lędere vix poteſt. Columbam igitur illam cogita, quæ repetita voce anxie invitatur à Sponſo cœleſti. *Veni Columba mea veni*. Verbo dicam: Eccleſiam cogita cum ſacri Carminis interprete, hæc illa quidem eſt argentea dives

in

in pluma, dives auri pallore, Davide docente ſine livore lactea, ſine amarore mellea, ſine felle placidiſſima, qua nec corde mitior, nec mente candidior, nec more lenior Orbem circumvolat, hæc divini amoris in ſinu, niduloque fœtus fovet implumes, educat robuſtiores, lapſantes ſuſtinet, devios revocat, amantes enutrit, blanditur integris, confractis veluti panacea mœtaneæ medetur, ad altiora promovet adultos, regiſque educandos admovet uberibus. Verum ubi effrenes, contumaces, infidos ſentiat, & inſanos, furorem induta minatur, arma expedit, tela quatit, vibrat, ferit; Et qualia tela vibrat Deus immortalis? Frigentes dixeris Jovis iras, pictaſque ejuſdem flammas, & fulmina,
ſi

ſi cum fulminibus Eccleſiæ, cum cenſuris componas. Non hæc fluctibus extinguuntur Oceani, non terræ franguntur objectu, non cautibus hebetantur Acrocerauniis, non calybi parcunt, dum vaginam vorant, non argento dum aurum ebibunt, animamq; dum feriunt timendo ſemper vulnere membra dilacerant, nec tumuli inter extinctos fœdera patiuntur, nocentes, & reos non ſolum dum vivunt puniunt, ſed niſi obſequio contumaciam redimànt ad aliorum terrorem hanc puniunt in cadavere animamque dum feriunt timendo ſemper vulnere membra dilacerent. Et leves jactes iras Columbæ, aut audias illa pervicaci ſceleri iras, pias quidem, acres tamen, & potentiſſimas provocare.

Ut

Digitized by Google

Ut ergo ad caput redeat Oratio, ſatis me arbitror proluſiſſe futuris hujus anni pręlectionibus, quæ de cenſuris habebuntur, ſatis auditores meos arbitror excitaſſe, aut ad curioſitatem, aut ad frequentiam, quando quod acrius timetur, ſagacius humana curioſitas inveſtigat. Quamobrem ſi quid dicenti defuit doctrinæ vel eloquentiæ, hoc uno inſtaurabitur verbo cum antiquis iterum monendo: *Caveto ab ira Columbæ*.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Errata Corrige

In Epiſtola ad Lectorem. ſiſte liſti
In Libro. *pag*. 2. : ſive. Sive ibid. affulerit affulſerit *pag*. 4. ! - ibid. , neque . Neque pag. 22. lætumque lethumque pag. 25. præiere prævivere pag. 26. pirricam Pyrrhicam *pag*. 27. reum rerum *pag*. 35. Rodum Rhodum *pag*. 42. quibus reguntur occultas artes quibns reguntur Imperia Dynaſtarum occultas artes quibus reguntur imperia Dynaſtarum ibid. ? Gregorium Gregorium ? *pag*. 49. reportauit reportarit ibid. inquirimus inquiramus *pag*. 56. vulnere vulnera ibid. dominationum dominantium *pag*. 57. Regum Regnum *pag*. 58. fruſtra ibid. ſi religionis amore ſi religionis amore, *pag*. 61. in diei in dies *pag*. 62. proptior promptior ibid. verſu 22. ; ? *pag*. 65. auta aula ibid. militæ militiæ ibid. pirtatis pietatis 67. largior largitor 68. uctem vocem ibid. ſpbrgit ſpargit 70. ereſta erecta 71. auraque auroque 86. libertatis liberalitatis 87. Regione Religione 93. equè æquè 94. ( ) - 93. dolore dolere 96. utquæ ſuæ ut ſuæ ibid. voluptatem voluptatum 98. rude Donatus rude donatus 100. emulator æmulator 102. permittere promittere ibid. Accademiis Academias 103. huius appellationis octauus -- 109. didicique dicique ibid. *verſ. vlt*. labecula labecula 110. ore ex ore 111. viſe vix 111. ille illæ 114. illum *verſ*. 20. ille ibidem illum præceptor *verſ*. 22. ille præceptor 117. ad lacrymas oculorum ad lacrymas & lacrymantes oculorum ibidem recordatis recordatio 119. flectu fletu ibid. æquè cum cùm æquè 121. , ſapientia tamen . Sapientia tamen 122. purgationibus purgatioribus 123. diceres : diceres 124. occurriſſe accurriſſe 126. & ſinu e ſinu 128. tui cultorem ſui cultorem 132. ſtudeas ſi æſtro ſit ſi veſtro ibid. Urbano deo Urbano adeo ibid. emineret ac muneravit emineret ac munere, Numeravit 133. opus aleæ opus aleæ) ibid. moderationi moderatori 135. nobis vobis 136. ut vulgo fert ut vulgo fertur 136. vernos annoique vernos ibid. tuliſſet tuliſſe, & metam pariter ibid. Gratulares Gratularer 137. præſagit præſagia ibid. via vix ibid. retardatus , retardatus incommodis ibidem Brucior

Brutios 138. glorias gloria 140. quam vis quamvis 141. concilii conſilii 143. Suetiæ Sueciæ 144. Sueciæ Sueciæ 146. bellicíſque belluiſque 147. audimur audimur. 150. mentis que mentiſque ibid. complectens complecteris 151. idemq; toto idemque poſſes 152. maximnm maximum ibid. ſuppeditantur jam dicenti mihi uberius dicenti ſuppeditantur 154. Indoles iſta Indoles illa 156. Suetia Suecia ibidem nouarum . Nouarum 157. an qui . An qui 161. illatos, tantum , illatos tandem 164. muceat moueat 165. excitaret excitarat 167. ſoluerit ſolueret 168. dolet . Dolet ibid. cor olim . Cor olim 170. ius vis 174. contento centeno 176. ſuperſit ſuperſtite 184. ac non ſecus non ſecus ad ibid. altè ſepulta repandunt armamentaria ; repandunt armamentaria altè ſepulta 190. Vnnorum Hunnorum 191. Rithiæ Rhetiæ 192. ante anni ibid. qni qui ibid. ſpernit ſperet 194. pugnatium pugnantium ibid. ordinate ordinatè 105. præſtringere perſtringere ibid. aſtis haſtis 196. occulata oculata ibidem Filomelæ Philomelæ ibid. quæ , quæ 197. inanior inaniter 199. ſuas ſuas 200. medie meridie 201. , interim . Interim 203. iucundiores , iucundiores ? 208. premio præmio 210. ſiueſenſilium ſiue ſenſilium 211. quàm quam 212. abiiciuntur non abiiciuntur, non 213. 214. ineruditus ineruditum 214. ſiſtentor ſi Stentor 218. tabulas rabulas 219. inuenes inuenies ibid. ne ad unguem excurrat ne unguis excurrat 220. delectari delectare 223. num loquaces propterea num propterea loquaces 22. coloret , coloret) 225. teſtudine, eo teſtudineo 228. & publicæ vt publicæ 231. commutare commutando ibidem eblandiri ablandiri 241. Filenas Fidenas 242. loto lætho 243. a cuiuſcumque cuiuſcumque 245. tinnit tinniunt 246. ac cum Venuſino an os ponas an cum Venuſino os ponas 247. aut hi vellent aut vellent 248. vt qui cum muſis vt qui muſis 250. Pithomantes Pythomantes 251. nemo ſanus nemo mente ſanus 252. deletis doletis 153. Turaebum Turnebum 255. equm equum ibid. ſerpenti ſerpente 258. facundam fæcundam 261. accedeti accedenti ibid. in bubule in bubulco ibid. ſemiſatiris ac Pan-

Digitized by Google

ſilveſter ſemiſatyrus ac Pan ſilveſter 262. , ſuggeſtum . Suggeſtum ibid. csnentium canentem 263. equs equus ibid. chieam choream 265. vt niſi editis non niſi editis 270. . Non parum : non parum ibid. in certa incerta 276. hæc hæ 288. vt Horatio vt cum Horatio. 289. quæſiuit in quæſiuit vt ibid. ſno ſuo 292. rationo ratione ibid. ſapientia ſapientiæ 294. ,quare . Quare ibi3. non indicendi nam indicendi 295. emarginando emarginabo ibid. pars . Pars 297. corpus *verſ. vlt.* tempus 301. inſelix inſœlix ibid. couiunctus coniunctus ibid. peſtrepebat perſtrepebat ibid. . ſuffenus Suffenus 304. validudine valetudine ibid. ſuorum ſerorum 306. valitudinem valetudinem ibid. in valetudine inualetudine 310. inſtruere Reges inſtruere . Reges 311. Ariſteo Ariſtæo 312. alterius deiecerit alterum deiecerit 313. Publicula Publicola ibid. vergeret & in vergeret in 320. veriſſima veriſſimæ 322. ſi florum ſi Florum 324. ut cumq; utcumq; 329. & clarius eò clariùs ibid. in cendiarijs incendiarijs 330. excipientium incipientiũ 332. ad diſciplinas ac diſciplinas 334. accedant accident 337. pietas pictas ibid. Tollitur . Fallitur 343. inquit reddentes Echo reddentes 347. non tamen Habita Peruſij . non tamen habita Peruſij 349. à cutiorem acutiorem ibid. infelix inſœlix 330. Magaræ Megaræ 331. Eodem Eadem 355. nimirum in modum mirum in modum 356. in certos incertos 358. velin vel in 359. Nam Hanc 360. lumine in albo limine . In albo 361. lycneorum lychneorum 362. manu manum 365. elicnum elychnium ibid. magis magis ſplendore magis magiſq; ſplendore 366. dum flammam in flammam 369. (aut Auguſtinum (ut Auguſtinum ibid. ab ſimili abſimili 371. & febas & Phebas 372. ſe tangendum ſe tangendam 373. contentio contentionem 375. ab eadem. Seiungendam ab eadem ſeingenda 376. ſed ſolum nec ſolum 378. diuinæ notionit incommutabilis—— ibid. nec alteram ne alteram 379. eſitantique hæſitantique 383. Entellius Entellus 386. In hac In hanc 387. delabitur delabatur 389. ponens meliora ponens. Meliora 407. Paremia Paræmia 411. iedegnantem indignantem 414. audias audeas ibid. ſceleri ſcelere .

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google